S. RITUUM CONGREGATIO

I.

ROMANA.

DUBII.

Dominica prima Iulii alicubi festum Deiparae celebratur sub titulo *Refugium peccatorum* cum officio et Missa *de Communi*, prima tantum Oratione, quae *propria* est, excepta. Quod profecto nulla difficultate laborat, cum de parte aestiva agitur. Sed vero accidit aliquando, ut dictum festum transferri debeat ad tempus paschale, et dubium eo in casu oritur super lectionibus III Nocturni in officio recitandis. Namque Evangelium huiusce Missae *de Communi*, tempore paschali, est *Stabant iuxta Crucem:* in Breviario autem deest Homilia praefato Evangelio respondens. Hinc quaeritur: Quomodo est agendum in casu eiusmodi festi translati ad tempus paschale?

Et S. R. C., referente subscripto Secretario, audita sententia Commissionis Liturgicae ac reliquis mature perpensis, rescribendum censuit: In casu adhibeatur Missa B. M. V. de tempore paschali a Pascha ad Pentecosten, retento Evangelio *Loquente Iesu*, de Missa B. M. V. a Pen-

tecoste ad Adventum: cui Evangelio respondet Homilia III Nocturni officii proprii B. M. V. sub titulo *Refugium peccatorum*. Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 3 Septembris 1900.

Loco ✠ Sigilli

C. Aloisi Masella Sacr. Rit. Congr. Pro-Praef.
D. Panici *Sacr. Rit. Congr. Secret.*

II.

VICEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Dioecesis Vicensis in Hispania, rogatus a Cappellano maiore cuiusdam societatis navigationis, de consensu R.mi sui Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum:

I. Utrum Episcopi possint sacerdotibus suae Dioecesis facultatem concedere, ut navigantes Missam in altari in navi erecto celebrare valeant?

II. Utrum hanc ipsam facultatem tribuere possint omnibus sacerdotibus Episcopi, in quorum Dioecesis adsint portus maris?

III. Utrum missionarii apostolici, vi huius tituli, valeant in navi celebrare, absque licentia Sedis Apostolicae?

IV. Utrum sacerdotes, qui privilegio fruuntur celebrandi ubique, valeant, vi huius privilegii in

navi celebrare absque speciali Indulto Apostolico ?

V. Utrum Cappellae navium aut altaria in ipsis navibus erecta pro sacro litando debeant considerari ut Oratoria privata vel publica.

VI. Utrum in praedictis altaribus valeant celebrari Missae de Requie concessae per Decretum 3903 *Aucto*, diei 8 Iunii 1896 ad II, et 3944 *Romana*, diei 12 Ianuarii 1877 ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I, II, III et IV Negative.

Ad V. *Si Cappella locum fixum habeat in navi, uti publica pro navigantibus habenda est: secus neque publica est, neque privata, sed habetur uti altare portatile.*

Ad VI. Affirmative.

Atque ita rescripsit.

Die 4 Martii 1901.

Loco ✠ Sigilli.

D. Card. Ferrata *Praef.*

† D. Panici *Archiep. Laodicen. Secret.*

III.

UTINEN.

In redigendis Calendariis particularium Ecclesiarum, sequentia exorta sunt dubia, quorum solutionem hodiernus redactor Calendarii Archidioeceseos Utinensis, de consensu R.mi sui Ordi-

narii, a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit, nimirum:

I. Quando Dedicatio propriae Ecclesiae occurrit vel concurrit cum festo titulari ipsius Ecclesiae, et Festum Titulare est Transfiguratio Domini vel SS. Redemptor, in occursu vel concursu quodnam est praeferendum?

II. In concursu diei octavae Dedicationis propriae Ecclesiae cum Festis Transfigurationis Domini, vel Dedicationis Basilicarum SS. Salvatoris et Ss. Apostolorum Petri et Pauli Almae Urbis, quomodo ordinandae sunt Vesperae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Quum enuntiatus titulus sit Festum Domini, in occursu Festum Titulare praeferendum est Dedicationi; in concursu Vesperae dividantur.

Ad II. Dies octava Dedicationis Ecclesiae propriae non cedit, iuxta Rubricas, nisi duplici secundae classis.

Atque ita rescripsit.

Die 4 Martii 1901.

Loco ✠ Sigilli.

D. Card. Ferrata *Praef.*

† D. Panici *Archiep. Laodicen. Secret.*

IV.

DECRETUM.

A quibusdam Calendariorum redactoribus Sacrorum Rituum Cong.ni sequentia Dubia pro opportuna solutione, reverenter proposita fuerunt, nimirum:

I. Utrum circa orationes pro Ecclesia et pro Papa id retinendum sit ut, si altera vi Rubricae, altera ex praecepto Ordinarii praescribatur, utraque, prouti de more, in Missa dici debeat?

II. Num *Pater*, *Ave* et *Credo* post chorale Officium stantes vel genuflexi recitare debeant chorales, uti stantes vel genuflexi recitare tenentur finalem Antiphonam?

III. Quando alicubi celebratur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, huiusmodi festum est ne secundarium pro illis Ecclesiis, quae consecratae non sunt?

IV. An dies octava alicuius festi habentis Octavam incidens infra octavam Corporis Christi, ubi haec Octava non est privilegiata ad instar Epiphaniae, sed ita ut quaevis duplicia classica, sive occurrentia sive translata admittat, celebranda sit per integrum Officium, vel per solam commemorationem?

V. In Festo Expectationis Partus B. M. V. quod incidit in Feriam IV quatuor temporum, cantandae ne sunt duae Missae in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, videlicet una de Fe-

sto et altera de Feria, etsi quandam identitatem habeant, vel tantum canenda est Missa de Festo?

VI. Iuxta Rubricas speciales Breviarii et Missalis Romani Festum Annuntiationis B. M. V., transferendum quoad chorum tantum in Feriam II post Dominicam in Albis tanquam in sedem propriam, non cedit nisi Festo primario eiusdem ritus occurrenti, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditum transferri debet; quaeritur: In hoc postremo casu, concurrente Festo primario duplici primae classis, celebrato dicta Feria II, cum Festo Annuntiationis B. M. V. recolendo Feria III immediate sequenti, de quo Festo erunt dicendae Vesperae? Et regula quae traditur pro enunciato casu applicandane erit aliis casibus similibus ex. gr. in concurrentia Festi primarii duplici primae classis cum Festo S. Ioseph, Sponsi B. M. V. translato iuxta Rubricas in sequentem diem 20 Martii, vel in Feriam IV post Dominicam in Albis?

VII. Concurrente die octava Dedicationis propriae Ecclesiae duplici min. cum Festo Dedicationis Basilicarum SS. Apost. Petri et Pauli dupl. mai. quomodo ordinandae erunt Vesperae?

VIII. Quando Commemoratio omnium SS. S. R. E. Summorum Pontificum occurrit Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum, eadem *Postcommunio* habetur pro Missa de Festo et pro dicta Octava: in casu unde sumenda erit *Postcommunio* pro Octava?

IX. In primis Vesperis Festi duplicis primae classis Commemoratio diei Octavae Dedicationis propriae Ecclesiae, cuius Officium mane persolutum fuit, faciendane est vel omittenda?

X. Privilegium translationis quo iuxta Rubricas gaudent Festa primaria SS. Ecclesiae Doctorem ritus dupl. min. si impedita fuerint, extendine debet ad eorum Festa secundaria eiusdem ritus.

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I, II et III, Affirmative.

Ad IV, Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam (1).

(1) Videlicet: Si dies octava alicuius festi habentis octavam incidat in aliam octavam, quae ita sit privilegiata, ut sola duplicia classica admittat, celebrari non potest per integrum officium, sed per solam commemorationem. Haec est regula generalis certo tenenda post relatum Decretum, quod rationi liturgicae, praeterquamquod quaestionem inter peritos ex auctoritate dirimit, sapienter innititur. Et sane quando aliqua octava sic privilegiata conceditur, ut sola duplicia classica admittat, esto etiam quod non solum sint occurrentia, verum etiam translata, nullum certe aliud festum admittere potest, sed debet excludere, quod inferioris est ritus. Excludet ergo eiusmodi sic privilegiata octava semiduplicia, duplicia minora, etiam Doctoris Ecclesiae, ac duplicia maiora. Quare ergo excludere non debet etiam octavam diem, nisi aliquo et haec privilegio fruatur? Etenim dies octava est per se

Quoad utramque quaestionem. Ad VI. Vesperae fiant de Festo digniori cum commemoratione Festi dignitate inferioris.

---

dup. minus; atqui duplex minus, infra octavam tali modo privilegiatam occurrens, celebrari per integrum officium nequit, ergo neque talis octava dies poterit celebrari.

Equidem quaecumque dies octava privilegio gaudet, ut in occursu praevaleat duplici cuicumque minori atque etiam maiori, sed duplici II classis praevalere nunquam potest. Ergo dies octava quaecumque duplici quocumque II classis, ut de duplici I cl. taceamus, semper erit inferior. Consequenter, peculiari quoque admisso privilegio, vi cuius dies octava duplicibus minoribus et maioribus in occursu praevalet, nunquam praevalere poterit, imo neque aequiparari duplici II classis. Atqui in hypothesi sola duplicia II classis admittuntur, ergo admitti non potest dies octava, quae duplici II cl. ne aequiparari quidem potest, sed eo est inferior.

Hic autem animadvertendum est, non esse instituendam comparationem inter ritum octavae privilegiatae et ritum diei octavae in illam incidentis: quia, hac instituta comparatione, non solum dies octava celebranda esset infra quamcumque aliam privilegiatam, sed etiam quodcumque duplex, et plura etiam ad minus semiduplicia. Dies namque infra octavam quamcumque, generatim loquendo, semiduplicis sunt ritus, imo et secundarii qualitate gaudent; ergo infra eam de quocumque duplici agendum esset, et etiam de semiduplici saltem primario. Sed comparatione instituta inter ritum et ritum, tunc privilegio, quo octava ditata est, valedicamus oportet: quo admisso, iam quaestionis confinia excedimus. Privilegium enim in eo consistit, ut de semiduplici infra octavam privilegiatam fieri possit, aliis exclusis festis etiam superioris ritus; ut pro-

Ad VII. Vesperae erunt de die octava cum comm. de sequenti.

Ad VIII. In casu *Postcommunio* desumatur ex Missa Vigiliae Omnium Sanctorum.

---

inde comparatio inter ritum diei infra octavam privilegiatam et ritum diei octavae locum habere nequeat. Ita ex. gr. dies infra octavam Epiphaniae sunt ritus semiduplicis, excludunt tamen omnia duplicia occurrentia, nisi sint I classis. Frustra ergo in quaestionem adducerentur momenta superioritatis ritus in festis occurrentibus, quippe quae, etsi potiora sint, excluduntur nihilominus ob privilegium octavae. Consequenter de semiduplici infra octavam semper erit agendum, nisi aliquod duplex I cl. occurrat, contra quodcumque aliud festum duplex eccurrens. Iam quaeri potest, si ex hypothesi, quae comprobari vi Rubricarum nequit, ante festum Epiphaniae occurreret festum duplex cum octava, eiusque octava dies incideret infra octavam sic privilegiatam Epiphaniae, de hac die octava celebrari ne posset officium? Minime gentium, quia dies octava non est duplex I classis. A pari, si dies octava occurrat infra octavam Corporis Christi sic privilegiatam ut sola duplicia I et II cl. admittat: videlicet, de ea die octava fieri nequibit officium, quia dies octava neque dup. I, neque II classis est, quamvis II cl. magis quam I appropinquet.

Quae tamen dicta sint generaliter, cum ceterum S. R. C. quando has octavas privilegiatas indulget, ut plurimum innuit, praeter festa generaliter excludenda, ea particulariter, quae celebrari praecipit. Ita Decretum in *Asculana* n. 2611 (4576) indulget octavas ita privilegiatas SS. Corporis Christi et Assumptionis Deiparae, ut fieri tantum infra illas possit de duplicibus I et II classis, infra octavam vero Assumptionis excipit etiam octavam

Ad IX. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam (2).

Ad X. *Negative.*

Atque ita rescripsit, die 4 Martii 1901.

Loco ✠ Sigilli.

D. Card. Ferrata *Praef.*

D. Panici *Archiep. Laodicen. Secret.*

---

diem S. Laurentii, de qua vult ut officium fiat. Equidem cl. Gardellinius in relativa adnotatione, docet hanc esse veluti regulam generalem, quod tamen nequaquam ostendit, et contrarium praesenti Decreto asseritur.

Similiter Decretum **2688** (4680) indulget festum SS. Trinitatis cum octava privilegiata, ita ut duplicia omnia pariter excludat, nisi I aut II cl. fuerint; vult nihilominus ut de aliqua die octava festi octavam habentis, integrum celebretur officium. Hanc quoque dispositionem particularem teneas; agitur enim de Indulto, quod tantum concedit, quantum legislator vult. Sed generalem regulam solum Decretum praesens exhibet, uti ex toto contextu patet: adeo ut, quando aliqua octava privilegiata a S. R. C. ita conceditur, ut de solis fieri possit duplicibus classicis, dies aliqua octava, quae infra illam potest incidere, per integrum officium celebrari non possit, sed tantum per commemorationem. Hac de ratione soluta ac demonstrata, seu ex ratione liturgica seu ex auctoritate, quaestio in Ephemeridibus, cuius solutionem prudenter distulimus, pro mense Aprili proposita.

(2) Hinc in Decreto 3624 ad VII responsioni « Negative » suffice « Affirmative »; et Rubrica, quae ibi servanda dicitur, est quae prostat post tabellam Concurrentiae, n. 2.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VI.

DE STOLIS.

Henricus Sacerdos in quandam piam Communitatem vocatur confessiones domesticorum excipiendi causa, aliaque obeunda munia in eiusdem Communitatis Ecclesia. Nunc itaque confessiones excipit, nunc lustralem aquam benedicit, uti in Paschate piam domum, nunc morientibus assistit, et defunctos ad coemeterium comitatur, etc. Paulo autem postquam id officii susceperat Henricus, animadvertit stolas omnes, quibus utebatur, ea excepta, quae pro Missa inserviebat, vel ex bombycino esse confectas, vel ex gossypio, aliave materia, sed ne minimam quidem partem esse ex serico. Rem demiratus, loci Superiorem adit, cum eoque de lege verba facit, ex qua S. R. C. stolam omnino ex serico praescribit. Sed ne is perturbetur, reponit Superior, quod stolae pro Sacrificio inservientes ex serico sunt, quas lex respicit tantum, haud reliquas. Anceps ad aliquem Liturgiae peritum scripturus erat Henricus, cum vidit alterum ex alumnis dictae Communitatis nondum acolythum, relativis paramentis indutum, ipsaque stola transversa, Passionem Domini Dominica in Palmis concinentem,

Timore illico perculsus, ad hanc Academiam dedit Epistolam, in qua sciscitabatur:

1. *Quamnam praeseferat antiquitatem stola seu sacerdotalis seu diaconalis in graeca et latina Ecclesia? Et num semper aut quando inceperit tale indumentum ita ecclesiasticum evadere, ut nulli illud deferre liceret, nisi Sacerdoti et, alio licet modo, Diacono?*

2. *An probari distinctio queat inter stolam Missae, et alias ad alios sacros usus destinatas, ut illa ex serico, hae iure ex alia materia esse valeant?*

3. *Quid de admiratione et timore Henrici iudicandum, quidque de stola diaconali in ministro non Diacono, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Sebastiani Gaetano, Pontif. Sem. Rom. alumni, habita in S. Aede Congr. Missionis, prope Curiam Innocentianam. die 6 Martii 1901, acta Epitome per R.mum Dom. Aloisium O. Can. Borgia.

I. Quamnam praeseferat antiquitatem stola seu sacerdotalis seu diaconalis in graeca et latina Ecclesia? Et num semper aut quando inceperit tale indumentum ita ecclesiasticum evadere, ut nulli illud deferre liceret, nisi Sacerdoti et, alio licet modo, Diacono?

Si originem stolae inspicimus, quae in sacris nunc adhibetur ministeriis, eam, quamvis forma valde diversam, antiquissimam novimus. Primitus totam contegere personam apta erat, eaque induebantur viri et mulieres, sed ad maius decus ac ut dignitatis et auctoritatis insigne. Legimus sane in libro Genesis, Pha-

raonem, cum Ioseph constituit praepositum universae terrae Aegypti, eum induisse stola byssina *(XLI, 42)*; et Iudith, cum a Deo inspirata, ad Holofernem se contulit, *accepit stolam novam ad decipiendum illum (Iudith, XVI, 10)*. Redeunti ad Patrem Filio, qui bona prodegit suae substantiae, pulcherrimam *stolam primam* impositam legimus *(Luc. XV, 22)*. Zosimus *(libro 4)* ait, Iulianum iussisse, Procopium regiam stolam habere. Narrat Diodorus Siculus, Arbacem, qui, Sardanapalo defuncto, primus Medorum regnum occupavit, Assyriorum regali indutum stola regem renuntiatum fuisse. Ioseph Hebraeus *(Antiq. lib. 15, cap. 14)* de stola loquitur, qua summus Sacerdos in veteri lege utebatur. Item Zosimus, loquens de titulo Pontificis Maximi quondam Imperatoribus tributo, inquit : « Simul ac summum imperium quisque consequeretur, Stola Sacerdotalis ei offerebatur a Pontificibus, et continuo Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur ». Tunc Gratianus ait stolam exuisse sibi datam, cum christiano haud licere existimavit eiusmodi habitu uti. Apud profanos scriptores tum graecos, apud quos originem duxit stola, tum apud latinos, invenitur illam fuisse quamdam speciem tunicae muliebris, quae pectus et scapulas cooperiens ad pedes usque descendebat. Hinc Cicero, Marcum Antonium, ob suos effeminatos mores, sic corripit: « Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti (*Philip.* 2) ». Unquamne istius formae stola ut vestis sacerdotalis adhibita fuit ? Absolute affirmari nequit. Durandus pro certo habet, pro suaque stat sententia communis opinio, quod vice albae adhibita fuerit, et cum haec in usum est delata, tum illa diversa confecta fuerit forma. Quidquid de hoc sit, paullatim reducta est ad instar pallioli oblongae mensurae, sed latitudine minimae, quod ad collum impositum, pectus circumtegebat, et ad pedes usque

protendebatur. At inquiri potest, quonam saeculo eiusmodi indumentum sacrata vestis evaserit. Cardinalis Bona, usque ad Silvestri Papae I saeculum progreditur, innititurque argumentis validis, ex diversis Conciliis ac pluribus aliis documentis excerptis. Ea sub forma « *Orarium* » illam vocari coeptum est. Rabanus Maurus (*lib. I, c. 19*) inquit : « Quintum est quod Orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent ». Alcuinus (De divin. Offic., *cap. 39*) : « Sequitur Orarium id est stola ». In *Ordine Romano* invenimus : « Subdiaconi regionarii accipiunt ad induendum Pontificem vestimenta, alius Orarium, alius Planetam ». In Laodicaeno Concilio, tempore S. Silvestri Papae celebrato, sic habetur : « Diaconi in aliquantis huius Provinciae Ecclesiae absconsis infra tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differre a Subdiaconis videantur, ut de cetero, supposito scapulae, sicut decet, utantur Orario ». Ex Concilio Toletano IV, sub Papa Honorio, habemus : « Episcopus recipiat Orarium, anulum et baculum, Presbyter Orarium et planetam, Diaconus Orarium et Albam ». Concilium IV Bragae habitum, Adeodato summo Pontifice : « Cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit aut pro se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis et Sanguinis D. N. I. Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodemque Orario cervicem pariter, et utrumque humerum praemens signum in suo pectore proferat crucis ». Omittimus alia plura ex ceteris Conciliis ac scriptoribus eadem testimonia ferentibus, usumque stolae indicantibus ; breviter perpendamus cur haec vestis antiquitus Orarium dicta fuerit. Vox Orarium nota fuit etiam paganis scriptoribus et Christianis priorum temporum; verum tunc significabat quandam mappae speciem ad vultus sudorem detergendum adhibitam, hinc *ab ore* dictam Orarium. Etymologice

autem, aut a graeca voce ὁράω, *video*, derivat, quia Sacerdotes ea induti diligenter videre omnia debent, quae in sacris ministeriis agenda sunt ; aut derivare potest ex voce itidem graeca ὥρα, *cura*, eo quod illam gestanti semper curam memorat, quam habere debet, de sibi commisso populo Dei. Ex latino *oro* nonnulli autumant originem ducere, ex usu, qui iam ab initio invaluit, eam in publicis precibus deferendi.

Stola semper veluti sensibile signum considerata est dignitatis ac interdum iurisdictionis, fuit proinde Episcoporum, Sacerdotum et Diaconorum pariter vestis, qui olim, saltem circa saeculum IX, illam etiam extra Ecclesiam induebant, quasi sui ecclesiastici vestimenti partem, atque peculiare dignitatis insigne. Concilium Moguntinum, anno 813, decrevit, Sacerdotes absque intervallo stolam gestare debere, ad diversitatem denotandam ecclesiasticae dignitatis. Similiter Diaconis mos fuit stolam semper habendi, sicut eruitur ex vita S. Thomae Cantuariensis, et ex alia S. Mauri, teste Mabillonio et Ducange. In hodierna Ecclesiae disciplina hic usus stolam etiam extra Ecclesiam et ecclesiasticas functiones deferendi ab uno Romano Pontifice servatur, idque ad eius plenam in Ecclesiam universam iurisdictionem indicandam, dum alii Episcopi, ac inferiores ministri nonnisi in sacris actibus, et quidem in actuali dumtaxat ministerio illa utuntur.

Sub nomine quoque *pallae linostimae* venit stola, ex eo profecto, quod tunc ex lino conficeretur. Papa quidem Sanctus Silvester (novimus ex Walfrido Strabone) « ordinavit ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, et pallio linostimo eorum laeva tegeretur ». Anastasius, auctor *Libri pontificalis*, asserit, Zosimum anno 417 iussisse ut « Diaconi laevas tectas haberent de pallis linostimis ». Aliquando tamen, nomine pallae linostimae, stola diaconalis intelligitur ex lino confecta aut

ex lana ; quam tunc gestabant prout nunc gestare solent Diaconi ad sinistrum humerum, ad differentiam stolae sacerdotalis, quae a collo utrinque pendet ante pectus. Praefatae stolae diaconalis usus ad tempora ascendit Laodicaeni Concilii, annum videlicet circiter 363, in eo quippe interdicitur Subdiaconis et Lectoribus stolae usus, hanc ob causam, quod stola sacrum erat insigne Diaconis a Silvestro Papa concessum. IV Toletana Synodus, anno 633 habita, peculiarem dedit instructionem, ut Levita (Diaconus) dum orat deferre debeat Orarium super sinistrum humerum, sed liberum habere debeat dexterum, ut expeditior sit ad celebrantis necessitatibus ministrandum.

Quamvis Orarium in latina Ecclesia commune sit Presbyteris et Diaconis, a Graecis proprie Diaconis tribuitur, dum *epitrachelion* vocant stolam sacerdotalem, ex vocibus *epi*, super, et *trachelon*, collum. Haec a nostra differt, quatenus, pro eo quod divisa sit, ut aeque pendeat, unicam desuper habens scissuram ad caput emittendum, inferius consuta est, et per pectus ad pedes usque producitur. Orarium graecorum Diaconorum ter vocem repetitam habet ἅγιος, *Sanctus ;* et Simeon Thessalonicensis, in commentario *de divino templo,* ait : « In ipso Orario Sanctus, Sanctus, Sanctus scriptum est, quo ministratorius sanctorum Angelorum ordo exprimitur ». S. Ioannes Chrysostomus, in sua Liturgia, dicit : « Diaconus induit Tunicam orans etc. et osculatum Orarium imponit illud sinistro humero ». Ex Conciliorum collectione Matthaei Blastare scimus, « solis Diaconis concessum esse sinistro humero Orarium circumponere ». Ex his omnibus clare patet Orarium apud Graecos proprium esse Diaconorum, et Epitrachelion, seu stolam proprie dictam, Sacerdotum; et contra, apud Latinos Stola et Orarium idem prorsus sunt, et variatur tantum eorum deferendorum ratio. Copti stolam vocant *Citarschil*, Syri *Ouroro*, Armeni *Ouror*.

Non una semper fuit stolae deferendae ratio in Ecclesia. Nunc v. g. Diaconi super humerum imponunt sinistrum binis alligatis extremitatibus sub dexterum brachium sive altari ministrando, sive caeteris in functionibus. Presbyteri vero e collo per humeros ante pectus aequaliter descendere sinunt bina illius latera, in sacris quidem functionibus in quibus alba, aut saltem amictu, utuntur, in crucis formam ante pectus decussata, alias vero nullimode penitus relaxata. Episcopi necnon usum Pontificalium habentes, cum crucem ante pectus deferant, nunquam crucem stola efformant.

Graeci cum stolam assumunt, dicunt: « Benedictus Deus, qui potentia me cingit et gratiam super me spargit ubique, nunc et semper etc. » Latini autem: « Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum ». Ex quibus verbis sensus mysticus et moralis eruitur nostri indumenti; equidem videmus illud esse obedientiae divinis praeceptis symbolum, et submissionis nostrae voluntatis divinis beneplacitis. Alii, ex eo quod collo imponitur in stola vident suave iugum Christi. Mystice tandem funem repraesentat Iesu Christi collo in sua passione alligatum, et immensam eius erga Patrem obedientiam usque ad mortem crucis. Opportunum hic ducimus etiam de stola latiore, quam Diaconus induit in quibusdam Missis ministrans, mentionem facere. Oportet imprimis adnotare, antiquitus Diaconos, cum Evangelium legere deberent, planetam complicasse, prout tradit Mabillonius in Ordine Romano (*Cap. XIV*): « Diaconus quando pergere debet ad legendum Evangelium, deponat planetam, et Acolythi decenter eam complicent, ut imponant super sinistrum humerum eius, et sub dexte-

ro brachio ligent eam, ut melius poterunt, ita quod ab humero sinistro descendat ad latus dexterum, sicut diaconalis stola descendit, et hoc modo Diaconus planetam teneat, dum legit Evangelium, et usquequo etc. » Ita haec stola latior planetae plicatae locum tenuit. Nullum apud rerum liturgicarum scriptores indicium invenimus de tempore, et loco, quo usus inceperit huiusmodi. Plures de hoc indumento ad instar zonae loquuntur, ac praecipue Claudius De Vert (*De caeremoniis missae tom. 2*). Nos tamen putamus usum latioris stolae esse recentis aevi, et eius originem ponere possumus ad saeculum XIV aut XV cum scriptus fuit Ordo Romanus.

II. An probari distinctio queat inter stolam Missae, et alias ad alios sacros usus destinatas, ut illa ex serico, hae iure ex alia materia esse valeant?

Ut alteri huic quaestioni adamussim respondeamus, perpendendum est in primis quanam ex materia praecipiantur conficiendae stolae. Rubricae generales Missalis Romani, sub titulo: « Ritus servandus in celebratione Missae, cap. I, de praeparatione Sacerdotis celebraturi, n. 2 », praecipiunt, paramenta ad Sacrificium Altaris inservientia non esse debere « lacera aut scissa, sed integra et decenter, munda ac pulchra ». Omnes ecclesiastici scriptores unanimes sunt in affirmando, in sacris vestibus requiri decentiam; quamobrem retinent, quanto pretiosior et decentior est materia qua conficiuntur, eo magis acceptiores esse Deo, ac conformes Ecclesiae menti, necnon debitae venerationi in augustissimum Sacramentum respondent. Nos docet Anastasius, in vita Summorum Pontificum, sacra indumenta saepe ex serico fuisse auro argentoque intexto; idem et ex aliis auctoribus eruitur, praecipue post Constantinum. Ecclesia Catholica usque ab initiis suae divinae institutionis, ad maius divini cultus decus, in omnibus praecepta a

Deo in veteri lege data ac praecipue in libro Exodi (*Cap. 28*), quoad necessitatem et decorem sacrorum supellectilium ad usum altaris inservientium, adimplevit. Theodoretus, in sua historia ecclesiastica (*lib. II, cap. 27*) narrat, Constantinum Macario Hierosolymitano Episcopo sacram vestem donasse filamentis aureis intextam, ut ea in sacris mysteriis uteretur. De necessitate et decore sacrorum indumentorum loquitur et Concilium Laodicaenum anni 363 : (*can. 22 et 23*), aeque ac Concilium Carthaginense IV (*can. 41*). Semper et ubique Ecclesia reprobavit paramentorum usum, quae decorem ac decentiam in sacris functionibus imminuere possent. Exemplo sit cura, quam S. R. C. in his ostendit, cum anno 1847, die 11 Septembris, paramentorum materiam vitreis filamentis sericeis intextis prohibuit, ob plurima exinde possibiliter eventura incommoda. Audiatur ex integro documentum : « Hinc facillime demonstrari posset, quomodo semper Ecclesia illas novitates reiecerit, quae praescriptum ordinem perturbant. Quin antiquiores huiusmodi novitatum prohibitiones referamus sequentem sit satis retulisse, eamque recentiorem, qua S. R. C. vetuit ne introducerentur. « Num planetae, stolae, manipuli possint confici ex tela linea vel gossypio, vulgo *percallo* coloribus praescriptis tincta aut depicta » ; respondit « Serventur rubricae et usus omnium ecclesiarum quae huiusmodi casulas non admittunt ». His addi posset argumentum ex sensu mystico, quem exprimunt sacra paramenta; in ornamentis enim auri et argenti, quibus sacrae vestes distinguuntur, virtutes repraesentantur, quae in cunctis comitari debent Ministrum Sacrorum, uti recte Ivo Carnutensis adseruit, et Gregorius Nazianzenus similiter edixit : « Angelorum imago repraesentatur in ornatus decore ». Conficiantur ergo stolae ex serico, iuxta communem Ecclesiarum probatam praxim, sal-

tem in externa superficie, vel serico auro argentove contexto, ac si placeat etiam lino aut gossypio similiter contecto, quae, prout pretiosioris materiae fulcimentum, vetita haud sunt, sicuti non prohibetur eius materiae subsutura vel demum ex recens invecta materia, ex corticibus mori confecta, quae vulgo *gelsolino* appellatur, et a S. R. C. approbata est. Devenientes modo ad distinctionem, quae institui vellet inter stolas quae ad Missae Sacrificium inserviunt, et alias ceteris usibus ecclesiasticis destinatas, quantum scimus, nullimode probari posse autumamus. Et revera, ut vidimus, per se, stola nil aliud est, quam distinctio et signum specialis dignitatis, quod aeque requiritur tam ad Missam, quam ad alias sacras functiones, in quibus lege usus stolae praecipitur. Ne accepta quidem sensu mystico et morali, quoquomodo velit interpretari, ipsa specialem habet significationem, quae ad Missae Sacrificium tantummodo referatur, cum a Sacerdote induitur in illius celebratione. Si igitur probari nequit ulla mystica distinctio inter stolam, quae adhibetur in Missae celebratione et illam, quae in celebratione aliarum functionum, curnam differentia statui vellet circa materiam ad earum confectionem adhibitam? Ex hoc ipso, quod hactenus nullum datum sit Decretum a S. R. Cong., quo declaretur, stolam tantummodo ad Missae celebrationem inservientem esse debere sericam aut pretiosam, aliasque esse posse alterius materiae, dum e contrario omnia ad rem lata Decreta de stolis generatim loquuntur, nobis argumentum est, quamvis negativum, sufficiens, in positivorum defectu.

III. Quid de admiratione et timore Henrici iudicandum, quidque de stola diaconali in ministro non Diacono, ut in casu?

Nunc ergo, quae hucusque exposuimus, resumentes, de origine, usu et materia stolae, et, quae

theoretice diximus, ad casum propositum applicantes, toto iure Henricum iudicamus admiratione percussum, stolas adhibitas inspicientem ex percallo seu alia, quam pretiosa materia, confectas, ad alios ecclesiasticos usus, praeterquam pro Missae sacrificio, prout generaliter Rubricae et Decreta praecipiunt. Quoad vero eius admirationem, quum vidit clericum non Diaconum stolam gestantem, respondemus, hoc etiam in casu, pro eo ius fuisse, clarissime quippe patet Ecclesiae universae praxis, Laodicaeni Concilii confirmata Decreto, quibus Subdiaconis aliisque inferioribus clericis stolae usus interdicitur, ratione adiecta, ipsam Sacerdotum distinctivum esse, et Diaconorum ex Papae Silvestri concessione tantummodo.

SUPER DECRETO SENOGALLIEN.

COMMENTARIOLUM.

In num. 4 vertentis anni Decretum *Senogallien.* vulgavimus, super cuius aliquibus Dubiis aliquid iudicavimus animadvertere ad eorum explanationem, sed ex spatii defectu id praeterire coacti fuimus. Rem gratam nunc arbitramur lectoribus facere omissa supplendo. Dubia, quae aliquam explanationem merentur, sunt: IV, V, VI, VII et VIII, de quibus proinde aliquid, breviori calamo, ea referentes dicemus.

Quaerit Dubium IV: « Utrum tolerari possit consuetudo recitandi Sextam et Nonam Horam ante Missam Conventualem? » Et responsio est: « Regulariter Negative, et serventur Rubricae ».

Ab ultimis incipiamus verbis, ut ordinatim ad primum commodius deveniamus. Servandas Rubricas iubet S. R. Tribunal, nihilque ea in re aliud agit, nisi id exigere quod a Concilio Tridentino statutum iam fuerat (*Sess. 22, Decr. de obs. in celebr.*). Nam Ordinarii generaliter praecipiuntur, inter alia, ut *caveant ne Sacerdotes aliis quam debitis Horis celebrent*. Eadem S. R. C. iam alias idem statuerat principium contra invectam etiam consuetudinem, uti in Decreto 2345 (4086): similiter idem confirmat responsum in Decreto 3096 (5299), aliisque. Quid autem Rubricae circa Missas Conventuales praescribant satis notum ponimus, nec super hoc immorabimur: ut iure merito Sacrum Tribunal reposuerit ad Dubium, servandas esse Rubricas, quas in Missali videre est (*Tit. XV, n. 2 et seq.*). Consequenter unicum, quod dare responsum poterat, negativum esse debuit.

Sed ad responsum *Negative* additur *regulariter*, quod quandam ingerere potest difficultatem. Eapropter notandum, per dictum verbum, *regulariter*, innuere certo voluisse Sacrum Tribunal casum aliquem, in quo Missam Conventualem etiam post Sextam et Nonam Horam facere licet, quamvis ex generali regula fieri illa non debeat. Quod et aliquando in Rubricis legitur, uti ex. gr. in Concurrentia officii dicitur: « Duplici.... in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti duplici in primis, si utraque sint eiusdem solemnitatis, *regulariter* a Capitulo fit de sequenti etc. (*Tit. II, n. 2*) ». Per quod verbum innuitur, aliquam dari posse exceptionem contra generalem regulam; hinc et additur: « nisi aliter in propriis locis notetur ». Notum enim est exceptionem firmare regulam in contrarium: ut proinde verbum *regulariter*, nonnisi generalem regulam significet, a qua dissonare casus aliquis potest. Ita ex. gr. si facienda sit de more processio Corporis Christi, Missa Conventualis celebrari post Nonam potest:

quod et S. R. Cong.tio aperte permittit in Decreto (1609 2856, ad 6).

Quaerit Dubium V, utrum « possint psalmi ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a choro, alter vero recitetur sub organo, clara ac distincta voce, ab uno ex Mansionariis ? » Responsum est: « Affirmative, dummodo et organa non sileant, et insufficiens habeatur choralium numerus ».

Duas sapiens Tribunal Rituum ad affirmativum responsum conditiones ponit, quibus proinde non comprobatis, responsum affirmativum manifesto in negativum vertitur. Namque ex generali Episc. Caeremonialis lege « psalmi decantari debent a choro, et ab ipsismet Canonicis et Beneficiatis, aliisque de Capitulo...; ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur (*Lib. I, Cap. 1, n. 8)* ». Quod tamen poterit non comprobari de canticis, et hymnis in quibus alterne canitur, seu versus alter cantatur, legitur sub organo alter. Id enim potestatis facit citatus codex: « Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus versus Canticorum, et Hymnorum, et pariter versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est... cantentur a choro in tono intelligibili, non autem ab organo *(Lib. I, Cap. 28, n. 6)* », sub quo proinde alternantur alii versus, uti lex eadem habet: « In Vesperis solemnibus organum pulsari solet... alternatim in versiculis Hymni, et Cantici *Magnificat etc. (Loc. cit. n. 8)* ». Lex ergo generalis est ut versus omnes ac singuli psalmorum, licet organum consociare cantores possit, cantentur a Clero choralibus officiis addicto. Si ergo aliter fieri S. R. C. permittit, ut videlicet psalmos alterne cantores modulentur, hoc indulti rationem habet, sine quo id fieri, inspecta lege, non potest. Iustae enim causae illud innititur, hoc est choralium penuriae, sine qua illo uti non licet, quod sine illa non concessisset legislator. Inde sequitur, aut

organis tacentibus, aut sufficienti extante choralium numero, cessare indultum. Illud, uti patet, quia nisi pulsentur organa, omnia sunt cantanda, lex enim Decretorum explicite docet de Tractu, quod proinde intelligendum de reliquis canendis: « Tractus integre canendus, dum organum non pulsatur (num. **3108** (5315) ad 14) ». Excipitur symbolum, cuius etsi ab organis consocientur voces, articulum nullum cantari sub organo licet (*Caerem. Episc. loc. cit. n. 10*). Istud, quia, conditione cessante, sub qua indultum concessum fuit, indultum ipsum nullam vim habere dicendum est.

Prudenter tamen petitio ipsa notat, in alternandis psalmis nihil de ipsis omitti; siquidem alter ex Mansionariis clara et distincta voce, pulsante organo, versum legit. Et in hoc laudandi chorales sunt quatenus indultum quaerentes, legem, quantum fieri possit, adimplere satagunt. Quaerebatur namque ut psalmi decantari possent canticorum instar. At in canticis cum organo alternandis, semper versus legi sub organo debet, cum non canitur. Ita lex: « Sed advertendum erit ut quandocumque per organum figuratur aliquid cantari... ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id quod ab organo respondendum est (*Loc. cit. n. 7*) ». Quod autem fieri solet in canticis, posse et fieri petitur in psalmis, et non aliter: secus, uti advertit De Herdt (*Ibid.*), hora non diceretur integra, quod nefas esset. Ut itaque res secundum legis ordinem et obtentum indultum fiant, *a)* in omnibus alternandis psalmis organa pulsari necessum est: *b)* versus qui non cantantur, legi sub organo debent: *c)* et penuria choralium semper supponenda. Hac ratione tantum et chorales munus suum adimplebunt, et Deus rite laudabitur, et populus aedificationum accipiet.

Quaeri hic ulterius posset in quo consistat choralium penuria. ~~Quantum videtur nobis~~, choralium penuriam adesse

dici potest, quando unus tantum vel alter choralis ex una parte adesset, uti et ex altera; hoc enim in casu nonnisi difficulter oneri cantus singulorum versuum fieri posset satis, et favebit indultum, reliquis suppositis. Si tamen plures forent, et sufficienti maxime voce praediti, tunc haud talis videretur esse penuria, ut uti possent indulto: quamvis negotium moraliter considerandum sit, ut unus vel alter rem non mutet, secus indultum in laqueum conscientiis verteretur, quod evitari debet.

Dubium VI postulabat: « Utrum, absente vel deficiente sacri concentus schola, quae ex Ecclesiae huius consuetudine relativas Missae partes cantabiles et Vesperarum psalmos, uti quandoque et Matutini, exequi solet, Canonici et Mansionarii teneantur a seipsis supplere saltem in Cantu Gregoriano ? ». Responsio fuit: « Affirmative ».

Nil hac responsione sapientius. Sane obligatio officia divina psallendi in choro, pro iis qui ad eumdem chorum adiguntur satis, est nota. « Sancimus, ait Clementina *(Lib. III, Tit. XIV, Can. 1, Graci.)*, ut in Cathedralibus, Regularibus et Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur ». Tridentinum iubet (*Sess. 21, Cap. 12 De reform.*) ut Canonici *omnes dicina per se et non per substitutos compellantur obire officia..., atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* Non ergo censura notabimus consuetudinem, ex qua sacri concentus schola relativas Missae partes, Vesperas et Matutina decantare deputata sit; verum si haec muneri sibi credito facere satis nequeat, ius et onus redit in Capitulum. Non enim pretio conducti cantores, sint laici, sint exteri ecclesiastici, quod nescimus, tenentur officium chorale dicere, si ab onere ex conventione assumpto abstrahas; sed ii tenentur, qui ex proventibus sacris vivunt, cum neminem lateat, beneficium dari propter officium. Cantum ergo illi exequantur quidem,

quod quaedam legis relaxatio est; at, iis imparibus obligationi assumptae, ad Canonicos spectat munus, quod sibi inhaeret, adimplere meliori modo, quo possunt.

Additur autem, utrum id muneris adimpleant *saltem in Cantu Gregoriano?* Certo certius reponimus. « Haud ignota est, ait Benedictus XIV, obligatio, qua Canonici, aliique Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium et Collegiatarum ad quotidie Horas Canonicas in choro cantandas tenentur (*Const.* **Annus**, *19 Febr. 1749*, § 2) ». Quod ergo alii non possunt facere, chorales facere tenentur eo in cantu, qui facilioris executionis est, quam figuratus, et cantus est Gregorianus, Ecclesiae immo Liturgiae proprius, ut et Gregorianus a Magno Gregorio dicatur, qui illius reformator est, et liturgicus, quia Liturgia ut sibi proprium obtinet. Hinc non possumus, quin universos Ecclesiae viros, quibus illum addiscendi facultas est, enixe adhortemur, praeceptumque posse imponi optaremus, et grave, ut Cantui Liturgico ecclesiasticorum proprio apprime et sedulo studeant, Tridentino innixi: « Cantus disciplinam discent (*Sess. 23, Cap. 18, de reform.*) ». Quidquid ceterum sit, praefati Canonici, aliique choro addicti, in casu, saltem functiones sacras, quae cantum exigunt, in Gregoriano Cantu exequi merito tenentur.

Quaesitum VII petit: « Utrum chorales ad Asteriscum psalmorum pausam facere teneantur ». Responsio est: « Affirmative, et servetur Decretum **3122**, S. Iacobi de Chile, diei 9 Iulii 1864 ». Hoc porro Decretum, quod responsionem attinet, referre praestat, grave est enim. Audiatur: « Ad asteriscum in recitatione Horarum Canonicarum **pausam omnino servandam; non obstante quacumque in contrarium consuetudine** ». Id autem S. R. Congregationem toto iure exigere, contra oppositam etiam consuetudinem, nemo est qui non videat. Namque « Offi-

cium in choro recitandum et cantandum est, ait De Herdt (*Prax. Capit. cap. 26* § *4*), et quidem decretalibus (*Lib. III, tit. 41, de celeb. Miss. cap. IX* Dolentes) innixus, studiose pariter et devote: reverenter, distincte devoteque, ex Tridentino Concilio (*Sess. 34, Cap. 12 de reform.*): non praepropere, sed exacte, **pausa nempe interposita**, et maxima qua decet reverentia ac religione, ex Constitutione Benedicti XIV (Cum semper oblatas, *19 Aug. 1744*, § *13*): haud festinanter, nulla vocabula praecidenda, paulisper **voce subsistendum, ubi asteriscus interponitur** ex supracitato Decreto S. Iacobi de Chile: postremo studium in eo conferendum, ne chori pars versiculum canere incipiat, cum pars altera versiculum suum nondum absolverit, ex Benedicto XIV (*Inst. 107*, § *15*). Haec peculiariter praefatus De Herdt de pausa notat: « In recitatione enim Horarum Canonicarum pausa omnino servanda est ad asteriscum, non obstante quacumque contraria consuetudine. Haec pausa, non nimia sed tantum parva esse debet: bene tamen distincta, ut pars a parte distinguatur, et aequaliter servanda ab omnibus; aeque etiam longa et aeque brevis in versibus brevioribus sicut in longioribus, quia eodem modo sine ulla distinctione in omnibus versibus praescribitur. Huiusmodi omissio iuxta Ceccoperium (*Lib. II, Tit. VI, n. 30, 31*) per se non est iudicanda mortalis, peccant tamen Canonici eam non facientes; et quando moderator chori videt id non servari, signum aliquod manu vel capite facere debet, ad indicandum illam faciendam esse (*Loc. cit. n. 6*) », Cavendum ergo choralibus omnino est, ne Oratio publica, quam ad Dei gloriam, propriam fideliumque utilitatem Ecclesia instituit, pravo eam adimplendi modo in Dei dedecus, propriam aliorumque perniciem vertant.

Denique VIII atque ultimum Dubium postulat: « Utrum organa pulsari queant feria V in Coena Domini per

totum hymnum angelicum, et Sabbato Sancto ab eiusdem hymni initio et deinceps? » Responsum fuit : « Affirmative, iuxta Decretum 3515 *Vigleranen.* dici 11 Iunii ad IV et Rubricas.

Decretum *Vigleranen.* edicit tantum : *Servetur consuetudo* circa sonitum organi, qui protrahitur *usque in finem hymni angelici*, vel cessat postquam aliquantulum pulsaverit *post eiusdem hymni intonationem*. Aliud extat *Urgellen.* ad VII, n. **3535** (5830), quo feria V in Coena Domini, per totam Missam Organum pulsari ex consuetudine prohibetur, et eliminanda consuetudo dicitur. Caeremoniale Episcoporum ad *Gloria in excelsis* pulsandum organum dicit in Missa, tam feriae V in Coena Domini, quam in Sabbato Sancto (*Lib. I, Cap. 28, n. 2*).

Sed quaeri ulterius potest, utrum feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto pulsari etiam possit ab initio Missae. Reponimus, in Sabbato Sancto non posse, quod tota functio moestitiae perduret usque ad *Gloria in excelsis* : ut organorum pulsatio locum habere nequeat ante dictum hymnum; esset enim veluti musica in luctu, et laetitiae solemnitatem ab re praeveniret. Aliunde lex edicit ad *Gloria in excelsis* non antea pulsandum Organum. Verum si agatur de Feria V in Coena Domini, aliter se negotium habere tenendum est. *a*) Quia Missa huiusce feriae laetitiam portendit, quamvis Introitus omittendus sit, respicit enim divinae Eucharistiae institutionem. Post *Gloria* autem luctus perfectus incipit, non ante, post explicatam laetitiam. Hinc non dedecet, ut ab initio Missae pulsentur organa. *b*) Sicut in Sabbato Sancto incipit sonitus a *Gloria* et deinceps, ita non incongrue ab initio Missae in feria V idem sonitus incipit et post totum hymnum absolute silet. *c*) Martinucci ita legem Caeremonialis interpretatur dicens : « Sonabitur organis quum Celebrans et ministri e sacrario egredientur (*Lib. 2, Cap.*

25, *n.* 14). » Consuetudo plurium Ecclesiarum laudabiliter viget, etiam in Urbe, ut hac feria organorum sonitus ab initio Missae incipiat, et finem post decantatum hymnum habeat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Urbe.* **De Translatione almae Domus Lauretanae incidentis in feriam IV Quatuor Temporum Adventus, circa homiliam in Officio.** Ephemerides consuerunt (1893, pag. 695), servari posse in casu Rubricam specialem Breviarii pro Expectatione Partus. Sed Decreta 3136 ad 1 et 2, necnon 3667 ad 2, uti et A Carpo aliud in casu simili agendum praedicant : quid ?

Resp. Censuerunt Ephemerides, in casu, applicari posse pro Translatione Domus Lauretanae, quod Rubrica dicit in festo Expectationis Partus, videlicet : tres in Officio legendas lectiones de Homilia feriae cum Responsoriis festi, et Evangelio S. Ioannis in fine Missae. Ex Decretis vero aliud in casu, qui dicitur similis, praedicantibus, primum respicit diem octavam Immac. Conceptionis incidentem in feriam IV Quatuor Temporum Adventus; et hoc in casu S. C. statuit, ut *omittatur* IX lectio Homiliae *feriae Q. T.* in Officio, et *Evangelium* feriae in Missa. Decretum alterum idem repetit, et iam relatum Decretum invocat eodem in casu Octavae Immac. Conceptionis in dictam feriam incidentis.

Hinc vides Decreta in casu Octavae Immac. Conceptionis aliud praedicare quam praedicet Rubrica specialis de Expectatione Partus, quando utrumque Officium in eamdem feriam Q. T. incidit. Nonne ergo iuvabit causam

perpendere diversae dispositionis? Notandum est enim, Decretum primum ex relatis explicite praedicare dispositionem praefatam, saltem in expositione Dubii, *non obstante dispositione Rubricae particularis pro festo Expectationis Partus*. Ergo S. R. Tribunali et apprime nota fuit Rubrica pro Expectatione Partus, et applicabilem illam esse non censuit pro Octava Immac. Conceptionis. Quare igitur? En ratio, ni fallimur: Inter festum Expectationis Partus et tempus Adventus magnam esse relationem neminem latet. Hinc est quod lectiones tres de Homilia feriae IV Q. T. eiusdem Adventus plurimam inter se relationem dicunt, uti ceterum videre propriis oculis unicuique datur. Iure ergo Rubrica potuit disponere, ut tres lectiones de feria, et Responsoria de festo, identitate Evangelii posita, dicerentur. Verum inter Immac. Conceptionis festum et Adventum satis diversa est relatio: ex quo oritur inter lectiones Homiliae de feria IV Q. Temporum eiusdem Adventus et lectiones de Homilia festi octavae diei Imm. Conceptionis consequenter et Responsoria, plurimum esse discrimen: quod et ceterum unicuique videre est in lectionibus utriusque casus. Stat ergo, et iure merito, Rubrica alteram, et stant pariter duo Decreta alteram dispositionem exhibentia, cum utriusque dispositionis ratio toto caelo differat.

Iam nunc quaestio nobis proposita non Octavam Imm. Conceptionis spectabat, sed Translationem Lauretanae Domus. Cui autem haec magis assimilatur, quod attinet saltem tres lectiones de Homilia? An Octavae Conceptionis, an Partus Expectationi? En dubium, cuius solutio quaestionem propositam illustrat, uti facile consideranti patebit. Nunc animadvertimus, Immaculatae Conceptionis festum pro obiecto habere exemptionem Deiparae a labe originalis culpae, hinc et gratiae ei collatam abyssum a primo illius conceptus instante. Festum autem Expectationis Partus

habet pro obiecto Christum e Deipara nasciturum, quem mundus expectat, ut salvus fiat. Hinc palam fit, festum Translationis almae Domus plurimam cum Expectatione Partus relationem dicere, dum satis minor est relatio, quam habet ad Imm. Conceptionem. Agitur namque in illa de eodem Christo in domo Virginis de Spiritu Sancto concepto, quem adorandum celebramus, et consequenter de Virginis partu, quem eadem Virgo expletura erat in Nazareth : dum in Conceptione Imm. Virginem ipsam directe honoramus, tamquam originalis sanctimoniae flumen. Id autem verum esse facile suadet non solum totius relativi Officii structura, sed peculiariter lectiones III Nocturni, de quibus est quaestio : adeo ut, licet sint omnes super eodem Evangelio, nihilominus quae Expectationem Partus et Translationem Domus Lauretanae spectant, maximam inter se convenientiam dicant ; dum idem praedicari nequit de lectionibus III Nocturni in Octava Imm. Conceptionis.

Ergo lectiones de Homilia feriae Q. T. Adventus, quae super eodem sunt Evangelio et Christum nasciturum respiciunt, sicut optime sufficiuntur Lectionibus festi Expectationis Partus, ita iisdem fere de causis, festo Translationis almae Domus suffici posse videntur, cum Responsoriis relativi festi : quamvis sapienti de causa suffici non debeant lectionibus Octavae Immac. Deiparae, iuxta Decreta. En momenta, quibus innititur solutio loco citato exhibita.

Aliter nihilominus tenet A Carpo, dicens: « Quum festum sanctae Domus reponitur in Feria quarta Q. T. quoad nonam lectionem et Evangelium, quod idem est ac festi, id effice, quod praescribitur sub die 23 Febr. n. XI ». Hic autem notat, omittendam esse Homiliam Feriae eiusque Evangelium in fine Missae, quamquam ab hac regula generali excipiat festum Expectationis Partus *(Calend. Perp. adnot. in festo Dec. d. 10, n. II: et in fest. Febr. d. 23, n. XI)*. Quam tamen sententiam, nulli licet rationi fultam,

absit a nobis ut minus rectam iudicemus ; sed ob momenta allata fortasse magis aequa videtur quam exhibuimus, ac proinde uti certam non tradidimus. Sola auctoritas competens sententiam in veritatem mutare poterit ; idque imo recentius videtur egisse per Decretum 3844 ad IX, A Carpo sententiae favens. Quippe quod de Domus Lauretanae Translatione supponit festum agi, et Evangelium S. Ioannis legendum non esse declarat, sed feriae IV Q. Temporum pro alio Vigiliae, quod cum Evangelio Missae convenit.

II. *E Cassino.* **De hymno « Christe Sanctorum decus angelorum » integre uti iacet recitando.** In festis S. Gabrielis et S. Raphaelis Archangelorum, debentne in hymno « *Christe Sanctorum decus Angelorum* » recitari tres strophes, propriae scilicet de S. Michaele, de S. Gabriele et de S. Raphaele, vel potius una tantum propria uniuscuiusque Sancti Archangeli in proprio festo, sicut in quasi omnibus Breviariorum editionibus ?

Resp. Ratio gravis dubitandi est, quia festa Ss. Archangelorum Gabrielis et Raphaelis relativum Archangelum spectant. De iis autem dici nequit quod de S. Michaele in eius Dedicatione merito praedicatur, hoc nempe festum secum ferre memoriam omnium Angelorum. Hinc ad Benedictionem VIII lectionis dicimus : « Quorum festum colimus »; et Oratio non S. Michaelem in specie, sed omnes Angelos generaliter respicit, a quibus in caelo semper assistimur: quamvis festum a Dedicatione S. Michaelis nomen sumat. Festa proinde seu S. Gabrielis (d. 18 Mart.), seu S. Raphaelis (d. 24 Oct.) specialia sunt. Iam nunc in huius ultimi festo hymnus « Christe, Sanctorum » specialis est, in eoque secunda stropha aptatur S. Raphaeli tantum, et nomina Ss. Michaelis atque Gabrielis suppressa reperiuntur. Quare ergo, cum eadem sit ratio, idem servandum non erit in festo S. Gabrielis ?

En difficultas, quam, aperte fatemur, ex intrinsecis momentis solvere non valemus. At extrinseca ratione spectata, reponimus, S. R. Cong.nem semper nobis exhibere editionem aliquam Breviarii, quae ab aliquibus annis typica nuncupari consuevit, et cui citra controversiam standum est, nisi de errore saltem vel mendo certe constet. Nunc autem editio typica recentior, quam novimus, est anni MCM, uti constat ex verbis, qui in illius fronte prostant, videlicet: « **Editio Typica Sacr. Rit. Congregationis** », cui proinde adhaerendum. At in hac editione typica Breviarii Romani habetur quidem hymnus S. Raphaelis ad Laudes « Christe, Sanctorum », peculiariter ad eumdem Archangelum accommodatus, aliis Archangelorum suppressis nominibus; sed hymnus S. Gabrielis, ad Vesperas, aliter se habet: eodem scilicet modo ac ille incipit, sed dictorum Archangelorum nomina exhibet, seu S. Michaelem, S. Gabrielem, et S. Raphaelem. Quid ergo ex hoc possumus inferre, nisi uti prostat esse dictum hymnum S. Gabrielis recitandum?

Arroges, nonnulla verba esse mutata in versibus, quod hymnum spectat S. Raphaelis. Ubi enim in festo S. Gabrielis legitur: *Angelus nostrae medicus salutis — Adsit e coelo etc.*, in festo S. Raphaelis legitur, *Angelum nobis medicum salutis — Mitte de coelis* etc. Verum unius hymni verba privatae auctoritati non licet in alium hymnum transferre.

Denique dubium ex lege positiva iam resolutum est. Decretum namque in *Taurinen.* loquitur de hac variatione hymnorum, exponitque in diversis editionibus variationes haberi, et quaerit: « Quaenam ex his duabus variantibus Breviarii editionibus servari et sequi debeat ». Iam audi responsum: « Ad III. Hymnum *Christe, Sanctorum* in festo S. Gabrielis recitandum esse prouti legitur in festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli (**3060-5225**, *12 Sept. 1857*)».

Dicendum proinde in hoc hymno S. Gabrielis aliquem haberi respectum ad tres Archangelos, quamvis de S. Gabriele peculiare sit festum, sicuti habetur ad ipsam Virginem, quae *dux pacis* appellatur, *Genitrixque lucis*, atque etiam ad reliquos Angelos, quorum sacer invocatur chorus.

III. *E Senogallia.* **De** *alleluia* **addendo antiphonae** *O Sacrum Convivium etc.* **infra octavam Corporis Christi post administratam communionem.** Quaeritur: Utrum infra octavam Corporis Christi, sicuti tempore paschali, addendum sit *alleluia* ad antiphonam *O Sacrum Convivium*, et ad *Panem de caelo* post datam fidelibus communionem.

Resp. Pro responsione sequentes animadversiones agere liceat. 1. Lex de *alleluia* infra octavam Christi Corporis addendo ad versum *Panem de caelo* etc., in quavis processione, pro festo tamen Corporis Christi, est certa et constat ex Decreto **3448** ad 10. *Alleluia* addendum esse ad eumdem versum in quavis benedictione cum Sacramento paschali tempore, exploratum est pariter ex Decreto **3983**. De *alleluia* addendo ad antiphonam *O Sacrum Convivium* versumque sequentem, tempore paschali, post administratam communionem habetur etiam Decretum **3576** ad 11, imo et Rubrica Ritualis, quae post dictam antiphonam et versum notat: « Tempore paschali additur *Alleluia* (*Tit. IV, cap. 2, n. 6*) ». Quid vero de *alleluia*, seu in Benedictionibus, seu in processionibus per octavam Corporis Christi, cum versus dicendus est, *Panem de caelo* etc.? Quid de *alleluia* ad eumdem versum ad antiphonam praecedentem *O Sacrum Convivium* in Communione extra Missam, per octavam Corporis Christi? Nihil in lege, neque in codicibus Rubricarum, neque in Decretis. A Carpo autem docet: « Ad expositionem, et repositionem SS.mi Sacramenti in festo et per octavam Corporis Christi ad versum *Panem de caelo* etc. additur *alleluia*, non item post administratam Eucharistiam: » Citatque ad rem peculiarem Rubricam (*Calend.*

Perp. Adnotanda in festo Corp. Christi, n. 5) : idem repetit in Bibliotheca Liturgica, pars III, n. 208. Hinc patet, tacente lege, neminem, stricte loquendo, censura notari posse, si neque ad *O Sacrum Convivium*, neque ad versum sequentem adderet, in casu, *alleluia*.

Verumtamen consultius esse ad antiphonam *O Sacrum Convivium* versumque sequentem addere *alleluia* dicimus. *a*) Quia ratio ex qua tempore paschali praecipitur, vim quoque habet per octavam Corporis Christi, in qua, ratione laetitiae, quod attinet almum Sacramentum, tempus paschale quasi reviviscit. *b*) Quia lex viget consuetudinis, contra quam S. R. C. tacuit, immo cui tacens plurimum favet, cum per se rationabilis sit, ac laude dignissima. *c*) Quia auctores melioris notae, si A Carpo excipias, dictum *alleluia* probant, et addendum docent. Audias Baruffaldum de Communione loquentem : « *Alleluia* versiculus est laetitiae... Nonnisi tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi additur (*Tit. 24, § 11 n. 69*) ». Idem notat Cavalieri, pariter de Communione agens : « In antiphonarum omnium et versiculorum fine, quae intra divinum officium dicuntur, iuxta Rubricas, additur versus *Alleluia* toto paschali tempore. Cur vero contra generalem regulam, quam firmavimus Tom. 1, cap. 46, in casu, licet simus extra divinum officium, nihilominus mandetur dici, iam causam dedimus in Decreto 2, cap. 9, ubi insuper dicendus apparet in fine praedicti versiculi (*Panem de caelo*) infra octavam Corporis Christi, etsi Rituale temporis paschalis tantum meminerit. Hinc volumus, inferas, quod etiam addi debet in fine Antiphonae *O Sacrum Convivium*, nedum paschali tempore, sed etiam infra octavam Corporis Christi, sicut reapse habetur in fine eiusdem antiphonae, quae recitatur in officio praefatae octavae (*Tom. IV, De Communione fidel. Cap. IV, n. 30*) ». Tandem et Gardellinius in Instr. Clementina eiusdem est sententiae, scribens : « Notandum solummodo

est, quod huic versiculo non semper; sed.... addi debet *alleluia*.... tempore paschali et per totam octavam SS.mi Corporis Christi. Non enim solemnitas actionis, sed laetitiae tempus, celebritatis qualitas et praescriptus ab Ecclesia ritus exigunt *alleluia*. Rituale Rom..... addendum esse iubet *alleluia* ad Antiphonam *O Sacrum Convivium* etc. post administratam communionem tempore paschali: et quamquam agens tit. 80, § 6, de festo Corporis Christi, non item id memoret, nihilominus ex communi fidelium praxi additur *alleluia* in eadem solemnitate et octiduo, quae certe praxis in legem transivit, multo magis postquam Clementina Instructio eam adoptavit (§ *31*, *n. 2*) ».

His fortasse de causis Sacrorum Rituum Tribunal nullum super ea re Decretum dedit, quod, lege consuetudinis Ecclesiastici contenti, *alleluia* addentes in casu, nullum illi proposuere Dubium. Quamvis certi moraliter simus, eamdem, rogatam pro hac sententia staturam. Iure proinde concludimus, *alleluia* in casu et posse dici, et fortasse etiam debere.

IV. *E locis pluribus*. **De cantu in lingua vernacula ante Benedictionem cum Sacramento.** Plures a nobis quaerunt, quid iudicari debeat de aliquo cantu in lingua vernacula, immediate ante benedictionem cum Sacramento, sive in pyxide clauso, sive in ostensorio. Plura enim contra illum afferuntur Decreta, quae illicitum facere videntur, et nihilominus in pluribus Ecclesiis id consuetudinis viget et servatur.

Resp. Re primo in se inspecta, animadvertimus huiusmodi functionem non esse, stricte loquendo, liturgicam, sed ad summum dici posse mixtam ex orationibus liturgicis et ecclesiasticis. Hinc formulae in lingua vernacula in Benedictione nullo pacto prohibentur, quod nec probatione indiget, praxisque universalis id demonstrat. Nunc quaerimus: Si preces vulgari lingua in eiusmodi functione ad-

mittuntur ante *Tantum ergo*, quare hac hymni parte et Oratione de Sacramento absolutis, eaedem preces dicendae erunt vetitae? Unica ratio esse posset ordo functionis, qui videtur exigere ut primo aliae relativae preces dicantur, deinde illae, quae Sacramentum respiciunt, nempe *Tantum ergo*, versus relativus, et Oratio, quae omnes ad Sacramentum pertinent, et cum actu Benedictionis Sacramenti absolvuntur. Sed, re ita se habente, quaestio non debet institui super precibus in lingua vernacula, quae nullo pacto ea in functione prohibentur, sed potius super ordine quo dictae preces recitari vel cantari debent. Ex. gr. quid diceres, si, Oratione expleta de Sacramento, haberetur Oratio vernacula ad S. Antonium, ad S. Agnetem, vel etiam ad beatam Virginem? Profecto talem iudicares inordinationem, ut sustineri non posset. Apprime convenimus; sed hoc idem iudicaremus, si eaedem preces recitarentur lingua liturgica, quia eadem esset inordinatio, modo a lingua abstrahas. At si, Oratione expleta, dum Sacramentum deponitur pro benedictione, caneretur ab altari, respondente populo, nota laus in italis Ecclesiis communissima, alicubi ante, alicubi post Benedictionem cani solita: *Sia lodato e ringraziato ogni momento il Santissimo e divinissimo Sacramento*, vel altera: *Vi adoro ogni momento, o vivo pan del ciel, gran Sacramento*, vel alia poetica: *Beneditevi, o Signore — Vi preghiam con voti ardenti — Vostri figli siam redenti etc. etc.*, quid posset opponi, cum nulla habeatur inordinatio? Diversitas fortasse linguae? Sed quid hoc interest, cum vulgarem linguam eiusmodi functio patiatur? Intermixtio fortasse liturgici vulgarisque sermonis? Sed ea continuo comprobatur; namque haec functio generaliter a latino sermone incipit, sequitur inde vulgaris, resumitur liturgicus etc. etc. Dices fortasse, actum benedictionis esse quid coniungendum cum praecedentibus precibus de Sacramento? Sed haec assertio

omnino gratuita est, cum Benedictio sit actus a dictis precibus divisus; nihilque impediat, ut Sacramentum ante Benedictionem laudetur, omnique laude sit dignum, ut Benedictio ab eodem precibus appositis imploretur, a quo principaliter benedicimur. Eapropter, re in se spectata, prorsus non videmus, quare preces lingua vernacula sint dicendae vetitae, etsi immediate ante Benedictionem dicantur vel cantentur, dummodo debitus semper ordo servetur.

Sed ad positivam deveniamus legem Decretorum, quae vernaculas preces vetare dicuntur. Plura citantur: ea perpendamus. Primum est **2791** ad 2, et quaerit: An in Benedictione etc., ante vel post ipsam, permitti possit cantus lingua vernacula? *Resp.* « Permitti posse, post Benedictionem ». Ita vero hoc responsum intelligimus, ut S. R. C. secura esse voluerit: quod per *post Benedictionem* obtinuit. Si enim etiam *ante Benedictionem* permisisset, et inordinatio, de qua superius, oriri potuisset, cum de qualitate canendae precis Dubium sileat. Itaque S. R. C. hoc responso docet, quemcumque sacrum cantum cani posse post Benedictionem, sed non ante; quia ordo exigit, cantanda, etsi lingua vernacula, ante Benedictionem non esse debere, nisi relativa ad Sacramentum, ut cum praecedentibus et Benedictione sacramentali apprime concordent. Secus ratio vetiti intelligi non posset. Eoque magis, quod Decretum 3237 ad 1. permittit notam Laudem *Dio sia benedetto* non solum post, sed etiam immediate ante Benedictionem iuxta consuetudinem, quamvis aliqua in ea canenda inordinatio apparere possit, cum non Domini tantum, sed etiam Deiparae obiectum pro encomio illa contineat. Utcumque res se habeat, si superius Decretum aliter intelligas, inter illud et istud aperta est contradictio, quae admitti non debet.

Alterum est **3496** ad 1, eiusque obiectum est cantus vernaculus in Missis cantatis, et responsum est sequens: « Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et officiis

liturgicis solemnibus non esse toleranda ; extra functiones liturgicas servetur consuetudo ». Atqui functio, de qua est quaestio non est liturgica, sed extraliturgica, vel ad summum mixta, uti diximus; ergo Decretum non facit ad rem.

Tertium est **3530**, quod datam interpretationem pro primo Decreto apprime in 1 dubio confirmat : utpote quod antiphonas *Ave, Regina caelorum; Regina caeli; Salve, Regina* et *Alma Redemptoris*, prouti tempus exigit, absolute negat cantari posse immediate *ante* vel *post* benedictionem, et tamen liturgicas eas esse, nemo nescit ; sed praescribit eas cantari post litanias lauretanas, vel ante *Tantum ergo*. Eodem sensu prohibet preces quasdam vulgari idiomate Dubium 2 eiusdem Decreti, si cantari velint *immediate ante Benedictionem*. Non agitur ergo de re *quoad se* prohibita, sed de inordinatione vitanda in dicta benedictione: adeo ut cantus non solum vulgari lingua sed etiam liturgica, immediate ante Benedictionem sit vetitus, nisi ad Sacramentum dirigi possit. En sensus Decretorum, nisi ea inter se pugnare velis admittere.

Quartum est **3830**, seu *Ordinatio de Musica Sacra* ad Art. 7 dicens : « Infra solemnes *stricte liturgicas functiones* lingua in canticis usurpanda sit lingua ritus propria ». Verum, si Benedictionem recenseas inter functiones stricte liturgicas, valedicere fas est quibuscumque precibus vulgari lingua compositis, quas inter extat *Dio sia benedetto*, quod Decretum 3237 aliunde permittit, et Oratio de Sacra Familia ac de Sacratissimo Corde, quas ipsemet Leo Pp. XIII sapientissime composuit, approbavit, indulgentiaque auxit. Quid ergo ad rem faciat articulus iste prorsus non intelligitur.

Ultimum, quod affertur, est 3975 ad 5 ; sed et istud respicit cantum vulgari lingua in Missâ, et, *alternatim*

cum hymnis liturgicis, in processionibus de Sacramento, nos autem de benedictione agimus. Quid ergo ad rem?

Addit cl. Consulens, quae *Ephemerides* dicunt Vol. II, pag. 231 et seq., nec non Vol. VI, pag. 372, uti Vol. VIII, pag. 697, haud facile cum praefatis Decretis conciliari posse.—*Ephemerides* dixere, Vol. II. pag. 231 et seq., cantiones vernaculas esse vetitas in Missa, nil distinguentes inter Missam lectam, et cum cantu. In hoc autem, fateri cogimur, non lassi fuimus, ut cl. Consulens videtur admittere, sed severi nimis: accidit id tamen anno 1888. Sed post Ordinationem de Musica Sacra, quae prodiit 1894, distinguamus oportet, dicta relaxantes, inter Missam cantatam et lectam. Namque cantus vernaculus est vetitus tantum in Missa solemni vel cum cantu; dicit enim Ordinatio (Art. 7) prohibitum dictum cantum **infra solemnes stricte liturgicas** functiones. Missa autem solemnis, uti et cum cantu sine ministris, est stricte liturgica et solemnis; sed eiusmodi certe non est Missa lecta. Videas etiam Decretum **3880** rem aperte declarans. Ergo concludendum certo est, in Missa lecta locum habere posse cantiones in lingua vernacula.

Verum nos agebamus de Benedictione, quae, si in pyxide fiat, nec solemnis est, nec stricte liturgica: si autem in throno, solemnem quidem appellare poteris, stricte liturgicam nunquam. Ergo tam in Missa lecta, quam, et a fortiori, in omni Benedictione cum Sacramento, cantus in lingua vulgari nullo pacto dicendus est prohibitus. Et hoc quoque, nilque aliud, dixerunt loco iam primo citato Ephemerides: quamvis adverterint, in actu Benedictionis nihil esse canendum, quod et nunc iteramus.

In Volumine autem VI, anno 1892, pag. 372, eamdem tradidimus doctrinam, quamvis iam incoepimus inclinare in permissionem (*attenta*, notavimus, *praesenti disciplina*) cantus vernaculi infra Missam lectam. Quod vero Benedi-

ctionem spectat explicite dixerunt Ephemerides, cantiones vernaculas in ea non esse prohibitas, sive ante, sive post Benedictionem, non tamen in actu Benedictionis. Per cantum autem vernaculum *ante* Benedictionem permissum, extraneas certe preces non intelleximus; non enim sic delirantes ecclesiasticos viros supponere maluimus, qui inter Orationem de Sacramento et Benedictionem preces aliquas canere voluissent de Sanctis, vel de Sanctorum Regina. Ceterum, si obscuri in hoc fuimus, satis mentem nunc nostram aperuimus: ut infra id tempus cantus vulgaris sit permissus, dummodo eius obiectum sit Sacramentum, Dominus, imploratio benedictionis a Deo etc.

Volumen denique VIII, pag. 697, nil continet ab iis, quae hucusque diximus, diversum, quamvis generalissime ibi verba fiant. Cumque hoc in loco Ephemerides agant de interpretatione Ordinationis pro Musica Sacra, apprime notandum, eiusmodi Commentaria fuisse ante publicationem singillatim revisa ab iis, quorum intererat: ut pro tunc temporis nil certe continere posset a lege vel Decretis dissonum. Diximus tamen *tunc temporis*: quia aliquid postea mutationi potuit esse obnoxium, uti revera accidit de dictis super cantu tempore elevationis in Missa solemni (*col. cit. pag. 691 in fine et 695*). Itaque ibi dictum est, *tempore utriusque elevationis cantum non esse prohibitum (agitur de Missa solemni)*. Quinimo, etsi almum Eucharistiae Sacramentum directo non respiciat, eiusmodi cantus permissus nihilominus est etc. Contra haec deinde prodiit generale Decretum 3827, et quidem a Leone XIII Pontifice approbatum, edicens: « Dum SS. Sacramentum, sive sub una, sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, iuxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum (*22 Maii 1894, III*) ».

Ad propositum revertentes dicendum post hucusque discussa, atque inter se collata Decreta, omnia quae Ephe-

merides hac super re docuerunt, optime iisdem Decretis esse conformia; et cantum lingua vulgari in Benedictione cum Sacramento, sive in pyxide, sive in throno, non esse vetitum. Non vetitum generaliter intra functionem, non vetitum post Benedictionem; sed neque vetitum immediate ante Benedictionem, dummodo inordinationem non praeseferat, hoc est dummodo Sacramentum seu Christum Dominum respiciat, uti superius explicatum est.

Occasionem hinc sumimus aliam inordinationem detegendi, quam comprobatam aliquoties vidimus in quibusdam Ecclesiis. Videlicet: Sacramentum exponitur in silentio, incensum ponitur in thuribulo, thus Sacramento eidem adoletur, et statim canitur antiphona de B. Virgine *Sub tuum praesidium*. Quid hoc est? Actus videtur nobis, ad minus, contra urbanitatem. Nonne inurbanus, qui ante Pontificem staret, et dum facta illi esset fandi potestas, ad alium ex servis primo se verteret et aliquid ab eo peteret? Multo maior inurbanitas nobis apparet in casu. Hinc consilio iuvamus Sacerdotes, ut, Christo in Sacramento exposito, ad eum primo aliquam fundant precem, saltem per *Actiones nostras*, *quaesumus*, *Domine* etc. vel absolute Litanias Lauretanas incipiant per *Kyrie, eleison*, quod recto sensui longe conformius videtur.

Nota. Postrema verba in solutione Dubii III (num. Aprilis, pag. 220), nempe « festo S. Bartholomaei in diem primam liberam translato iuxta Rubricas » oramus ut sequentia sufficiantur: « festo S. Bartholomaei die 24 Augusti anticipato iuxta Decreta (*n.* **3694** *ad 2*) ».

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Urbe.* 1. Mutatio officii parvi pro obligatis nullo pacto dependet a translatione festorum, sed a qualitate temporis, quo illud recitandum est. Extra Adventum recitatur quod *pro extra Adventum* in Breviario inscribitur: in Adventu recitatur quod pro *hoc tempore* ponitur: post Nativitatem usque ad Purificationem recitatur uti *ante Adventum* cum notis mutationibus, sive Purificationis festum transferatur, sive non. Idem dicas, si transferatur festum Annuntiationis: officium parvum B. M. iuxta tempus recitandum est, sine dependentia a festo translato.

2. In anniversario pro defuncto, etiam Sacerdote, dici ad Officium debet eadem Oratio Missae: Ad absolutionem vero dici potest vel Oratio *Absolve*, vel Oratio, quae dicta est in Missa (*Decr.* **3764**, *III*).

3. Circa Graduale, cum duplici *alleluia* versuque sequenti, in festo S. Gabrielis Arch. post Dominicam Trinitatis translato, nil peculiariter dispositum reperimus. Interim aut e Missa votiva angelorum sumi potest, aut forte commodius magisque congruum est, ut dicatur Graduale ipsius Missae S. Gabrielis uti iacet, et omisso tractu, dicantur duo *alleluia* cum uno de duobus versibus qui sequuntur, ac relativo *alleluia* in fine.

4. Dominicis 4ª Quadragesima et 3ª Adventus cum laetitia celebrantur officium, Missa conventualis et privatae; hinc toto dicto tempore ornari potest altare chorale cum floribus aliisque ornamentis tempori laetitiae convenientibus (*V. De Herdt, Prax. Liturg. Tom. 1 n. 191*).

5. Decretum in *Lucionen.* 12 aug. 1854 exulare non

potuit e nova Collectione, cum neque in antiqua fuisset insertum. Sufficere videtur pro Orationibus variandis Rubrica Missalis (*Tit. VII, n. 8*). Pro minus peritis celebrantibus Calendariorum ordinatores notanda notent.

6. Quando ossa cadaverum loco subterraneo posita uno circiter metro distant ab altari, licite in hoc celebrari potest Missa.

7. Lectiones I Noct. in festis Confessorum ad Quadragesimam translatis, nisi aliter sit dispositum, accipiendae sunt de Communi: *Fidelis sermo*, si sint Pontifices: secus, e primo vel secundo loco, respectu habito ad aetatem, nisi habenda sit ratio lectionum tertii Nocturni.

8. Lectiones I Nocturni pro S. Ignatio, ubi de Communi sint legendae, esse debent *Beatus vir*, ait Decretum 3254 ad 6 datum pro Hispania; sed ratio non suppetit cur dici debeant alibi *Iustus*. Nisi ergo constet, has peculiariter alicubi fuisse concessas, standum esse credimus citato Decreto.

9. In Officio et Missa pro defunctis, quae anniversarium non constituunt, neque stricte neque late sumptum, quod proinde solo in ritu semiduplici occurrente haberi potest, antiponae duplicari nequeunt, plures in Missa Orationes sunt dicendae, eademque Missa esse debet ex quotidianis. Hoc ius praesens certumque, ut ad opposita in contrarium quid respondendum sit nesciamus. Hoc tantum quaerimus: Quare dictum anniversarium non celebratur pro Confratribus defunctis in anno praeterito? Tunc sustineri quodam iure posset, illud haberi uti anniversarium late sumptum, quaestio cessaret, traditio fortasse continuari posset, et devotioni satisfieri.

10. Anniversarium, si causa liturgica impeditur, tunc solum transferri vel anticipari potest, ita ut etiam translatum relativis fruatur privilegiis. Secus, omnibus privatur privilegiis, et in eo Missa quotidiana dicenda est.

11. Aspersione absoluta cum aqua benedicta in Dominica, plane indifferens est planetam sumere ante scamnum positam in parte Epistolae, vel in cornu Evangelii.

12. Hymni pro festo Sanctorum Monachorum Ordinis, cum historici non sint, uti iacent dicendi, omittendique, si impediantur, quin ad aliud attendatur.

II. *Pro Ariano in Apulia.* 1. Decretum *Urbis eiusque Districtus* num. 3809 facit potestatem in loco Festum Sacrae Familiae transferendi, quoties impediatur Dominica III post Epiphaniam, cui affixum est. Aliam generaliorem concessionem non novimus; ergo legi communi subiacet, ut sine speciali privilegio transferri nequeat, cum particulare, ad instar mobilis sit festum.

Nota. Dubium circa diem octavam, an ea simplificationi subiaceat in casu, videas solutum in num. 4 vertentis anni 1901, pag. 220 et seq.

2. Pro Dominica, de qua in Decreto **3853**, nonnisi Dominica communis debet intelligi, prouti in similibus casibus semper intelligitur.

III. *Pro Rucupis in Anglia.* 1. Rituale Romanum (*Tit. V, Cap. V*), ubi ponitur *Modus iuvandi morientes*, ait: « Haec, et his similia poterit prudens Sacerdos **vulgari** vel latino sermone, pro personae captu, morienti suggerere ». Quod satis innuit, Sacerdoti libertatem esse pro morientium utilitate lingua vulgari uti. Nihilominus quae in Commendatione animae Rituale habet, consultius, generaliter saltem loquendo, est, ut lingua Liturgiae propria utatur Sacerdos, pluribus de causis, quae facile intelliguntur.

2. Lux electrica anno 1898 **super altari** non ponendam diximus, cum ad cultum adhiberi nequeat. Anno 1899 diximus, eam poni posse **in altari**, cum et altare pars **sit** Ecclesiae, dummodo ad cultum non inserviat, sed ad splendorem et pompam. Quod ita intelligendum, ut esse ne-

queat **super altare** inter candelabra super illo posita; sed esse possit hinc inde ex. gr. altaris, vel etiam desuper, ut altari immineat, uti ipsum Vaticanum templum exemplum dedit.

3. Praxis ex parte fidelium asportandi aquam benedictam in Sabbato Sancto in domos suas pro quocumque devoto sacrove usu, non improbanda, sed laudanda omnino est. (V. Rit. Rom. Tit. *Ordo ad faciendam aquam benedictam*, n. 5).

IV. *E S. Michaele.* 1. Preces post Missam imperatae, a quocumque Sacerdote dicendae sunt ubicumque private celebret, etiam in Oratoriis domesticis.

2. Quando Missa de Trinitate dicitur pro gratiarum actione additur iuxta Rubricam Oratio *Deus, cuius misericordiae non est numerus.* Quid autem interest, si gratiarum actionem reddere Sacerdos intendat alicui Sancto? Dummodo Rubrica servetur, sufficit.

3. Festa duplicia minora et semiduplicia in aliam diem ex auctoritate S. R. Cong.nis perpetuo translata, ne ad ritum simplicem perpetuo redigerentur, quod infra octavam illa excludentem occurrerent, amoveri iterum non debent, ut in diem suam redeant, occasione Calendarii iterum ordinandi. Ratio est, quia translatio ex auctoritate provenit, quae iam impeditis festis diem tamquam propriam iure suo assignavit: ut minus congruat illa officia merito translata in diem propriam reponere, ut ad ritum simplicem redigantur. Ceterum ipsa S. R. C. in approbatione Calendarii iudicare poterit; verumtamen Rubrica specialis posita in Epiphania Domini, novae translationi dictorum festorum non faveret.

4. Verbum « maxime » positum in Dubio 1° Decreti **3497** esse vere mendosum credimus, et « minime » pro illo admisso, sensum longe melius procedere.

V. *Pro Namurco in Belgio.* Verba « Sacramento

extante super altari » indicant Sacramentum ratione Missae a consecratione ad sumptionem sacrarum specierum: verba contrarium sonantia indicant aliud tempus Missae, del ante consecrationem, vel post sumptionem. Qui autem victa verba intelligunt de Sacramento in tabernaculo clauso, vel non, errant; quia Decretum non debuit supponere Missam solemnem fieri in altari, ubi Sacramentum in tabernaculo asservatur, cum legi haud plene conforme sit (*Caerem. Episc. Lib. I, Cap. XII, n. 8*). De genuflexionibus autem a sacris Ministris agendis, Sacramento solemniter exposito, omnes auctores verba faciunt, et ita conveniunt, ut vix quaestio aliqua oriri queat.

VI. *Pro Hispania*. 1. Pluries in Ephemeridibus Liturgicis disceptatum est, an dies octava redigenda esset etiam in perpetuum ad ritum simplicem ob duplex II cl. occurrentem, an duplex II cl. transferendum esset, ut festum suum complementum haberet cum integra diei octavae officio. Hanc nos pluries sustinuimus sententiam; sed pluribus adversantibus, ipsaque Auctoritate competente, victas dare manus coacti fuimus. Nunc ergo certum est, diem octavam in casu redigendam esse ad ritum simplicem, etiam in perpetuum, et agendum de duplici II cl. occurrente.

2. Indubium est, Festum VII Dolorum, cum ritu gaudeat, in loco, duplici II cl., esse praeferendam cuicumque duplici maiori, uti Triumpho S. Crucis, et SS. Nomini Deiparae, atque etiam diei octavae Nativitatis Deiparae eiusdem. Duplex namque II cl. etsi secundarium duplici maiori et diebus octavis, ex regula generali, non cedit.

VII. *Pro Vico*. 1. Quando S. Sedes aliquod officium concedit ut determinata die recolatur, et haec dies in calendario particulari impeditur, nulla est necessitas petendi facultatem ut transferri possit, sed transferendum est, suapte natura, in primam diem liberam, iuxta Rubricas

et Decreta. Idem dicas, si officium, quod transferri debet, esset antiquum prae recentius concesso. Omnia enim festa, nisi sint simplicia vel ad libitum, iure translationis perpetuae ex Rubricis fruuntur.

2. Quando ex errore aliquod officium translatum est in diem, quae ei non competebat, error emendandus est, et nulla ad id facultate opus est, obligatio quinimo inest calendarii ordinatori errorem corrigendi.

3. Sanctus in die libera calendarii inscriptus ius per se habet ut non amoveatur. Si novum festum superveniat, notae servandae sunt regulae, quas S. R. C. nuper tradidit Decreto **3811**, ut iudicetur quale ex duobus festis vel officiis agi debeat ea die, et quale transferendum.

VIII. *Pro Sardinia*. 1. In Missis, quae canuntur in Cathedrali extra chorale officium, non debet omitti commemoratio feriae, Vigiliae etc. iuxta regulas generales de commemorationibus. Ratio est, quia exceptio ad hanc regulam respicit tantum Missas conventuales in quarum alterutra omittenda est comm. Missae canendae vel iam cantatae.

2. Mos interpolandi in hymno *Tantum ergo*, cantata prima strophe, alias preces, uti preces novendiales, Mariale Rosarium etc. et deinde ante benedictionem cum Venerabili dicendi aliam strophen *Genitori Genitoque*, improbandus est; quia est contra praxim generalem omnium Ecclesiarum et Caeremoniale Episcoporum, in quo praecipitur hymnum *Tantum ergo* semper sine ulla interruptione canendum esse. Preces illae dicantur ante *Tantum ergo*; si vero SS. Sacramentum exponi velit iam ab initio, dicatur alter hymnus vel Oratio, v. gr. *O salutaris hostia*, uti generatim alibi fit.

3. In omnibus processionibus, excepta illa quae fit cum SS. Sacramento, quando ante altare ubi asservatur Eucharistia transeundum est, genuflecti debet. Ex hac

regula non videtur excipienda processio, quae fit cum reliquia Sanctae Crucis, cum cultus qui Eucharistiae debetur, maior sit illo, qui eidem reliquiae debetur.

4. Quando in altari maiori expositum est SS. Sacramentum publicae fidelium adorationi, celebrans et ministri exeuntes de sacrario, si transeunt **ante** altare ubi Sacramentum in tabernaculo asservatur, et altare maius non videtur, credimus ab ipsis genuflectendum esse; si vero ante altare non transeunt, vel quamvis ante ipsum transeant, altare maius videtur, nobis videtur genuflexio non facienda. Ratio utriusque satis clara est; nam cum Sacramentum publicae fidelium adorationi expositum sit, illi debetur integer cultus et reverentia maxima; sed si non videatur, potest considerari tamquam si expositum non esset; idcirco regulae communes tunc sunt applicandae pro cultu atque reverentia, quae tam Venerabili Sacramento debentur.

5. Rubricae pro adoratione Crucis in feria VI *Parasceven* facienda statuunt, Crucem cum imagine Redemptoris esse discooperiendam adorandamque; minime vero loquuntur de ligno sanctae Crucis. Adde, verba ipsa quae proferenda sunt a Sacerdote, relationem dicere ad crucem, et totum ritum eamdem crucem respicere. Idcirco non possumus adprobare usum discooperiendi atque adorandi lignum sanctae Crucis: Rubricae observentur.

6. Quando sacramentum extremae Unctionis infirmis defertur, Sacerdos qui illud defert, non debet esse indutus stola et superpelliceo, neque luminibus adsociari; sed illud deferre debet absque luminibus, in habitu vulgari, ait De Herdt, et capite cooperto. Superpelliceum autem et stolam induit tantum Sacerdos in cubiculo infirmi, oleo super mensa deposito. Ita Decretum in *Baren.* d. d. 28 Ianuarii 1606 **(196)**, et Decr. in *Gandaven.* d. d. 16 Dec. 1826 **(2650)**, ubi

edicitur eliminandas esse consuetudines in contrarium atque Rituale romanum observandum.

IX. *Pro Gallia.* 1. Nullo gravi momento demonstrari potest stolam esse iurisdictionis signum, sed contrarium potius, saltem generaliter loquendo, evincitur. Quidquid ceterum sit de quaestione theoretica, praxis debet esse conformis legibus Decretorum, quorum vi stola in sola confectione et administratione Sacramentorum atque Sacramentalium adhiberi potest, et vix in aliis quibusdam actibus lege determinatis. Hinc Parochus, dum Vicarius parochialem Missam decantat, nullo iure stola indutus sedet in stallo suo, et male se gerit; excipe, si peculiares ob rationes id, auctoritate probante, fieret. Stola adhiberi non debet, neque sub pluviali ab officio agente in Vesperis, nisi post eas immediate danda sit benedictio. Pluviale autem induere in Vesperis ad *Magnificat* pro incensatione est abusus reprobandus: aut in tota functione adhibendum, aut sine illo peragenda. Nec minori sunt censura digni Cappellani stolam induentes in propriis sacellis, et deponentes adveniente Parocho, ac si Episcopus, adveniente Summo Pontifice, deponeret mozzetam: haec facta, non consuetudinem constituunt, sed abusum potestatis, legisque corruptelam.

2. Decretum absolute est, « Celebrantem non Episcopum, facientem officium in Matutinis, Laudibus et Vesperis **non posse uti alba** (*Ragusina*, 13 Iul. 1658, **1077** (1910) ad 3) ». Quando autem eam licite induit Sacerdos, stolam super Albam deferre debet in modum crucis, et non sinere, ut ante dependeat, more episcopali: quod nonnisi ambitionis indicium revelare videtur, nisi sit ritus ignorantiae argumentum.

SUPER CERA
IN SACRA LITURGIA

SUFFRAGIUM

E.mi Patres,

Pluribus abhinc annis quaestio agitatur super cera in functionibus sacris adhibenda: an scilicet cera apum necessario adhiberi debeat, quamvis cum aliqua extranea substantia, minori tamen proportione, possit esse commixta, an permissa necne dicenda sit cera ex alia materia pro maiori parte composita, seu cera apum quasi ex integro exclusa.

Ab anno 1882 Rmus P. Cirino, quondam Clericorum Reg. Theatinorum Vicarius Gen. et S. R. Congregationis Consultor, Votum ea super re confecerat ex officio; sed Sacrum Tribunal, causam nescio, nihil decrevit, et quaestionem *in statu quo* reliquit. Nuper alia quaedam dubia supra eadem quaestione proposuit S. R. Congregationi cl. Abbas Lavergne e Gallia; hinc munus mihi concreditum est Votum conficiendi liturgicum super hac quaestione, ut ab Eminentiis Vestris illi imponatur finis.

Pro viribus commisso mihi muneri satis facere satagam. Sed antequam controversiam pertractandam aggrediar, opportunum censeo praenotare, quaestionem impraesenti agendam simpliciorem esse, quam praeterita aetate fuerit. Etenim hucusque obiectum disceptationis fuit: Utrum cera mixta, quae etiam excluderet per integrum illam, quam apes educunt, liceret necne in quibusvis actibus liturgicis, in templis persolvendis. Nunc vero eiusmo-

di quaestio iam partim resoluta est, seu ex iure seu ex facto. Decretum enim die 4 Iunii 1895 e S. R. Congregatione prodiit, declarans lucem electricam adhiberi in Ecclesiis posse, non quidem *ad cultum*, *sed ad depellendas tenebras Ecclesiasque splendidius illuminandas*. Hoc Decretum in novissima Collectione insertum respondet num. 3859. Porro, si pro candelis adhiberi, in casu, licite possunt lumina electrica luce nutrita, amplius sustineri non posse censeo, lumina quae e cera apum non sint, esse prohibita. Aliunde, cera apum in candelabris altarium, maxime pro sacrificio Missae, iudicata hucusque fuit ex lege imposita, uti ex Decretis pluribus ostendi posset. At eamdem apum ceram ad depellendas tenebras et ad Ecclesias splendidius illuminandas fuisse impositam ex lege, satis non constat; imo demonstrari posset oppositum. Hoc de iure. Sed et factum idipsum ostendit. Namque, tam Romae quam extra Urbem, in pluribus Ecclesiis, et pro festis Beatificationis et Canonizationis Sanctorum in Archibasilica Vaticana, plurimas lampades per Ecclesiam, ipsique maiori altari imminentes, luce electrica nutritas ipsi conspeximus.

Quaestio itaque praesens respicere tantum potest candelas altarium, quae praecise et exclusive sint ad cultum, et maxime quae Missae sacrificio inserviant: reliquas controversias, utpote resolutas, missas facio. Sic ergo propono Dubium in hoc suffragio pertractandum et pro modulo meo resolvendum:

Candelae, quae super candelabris altarium ad cultum ponuntur, esse ne debent ex meraca apum cera, an ex alia materia, mixta saltem cum cera apum, esse possunt?

Cui Dubio en responsio, quam demonstrandam assumo: Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.

Iuvet innuere, Ecclesiam, nisi ab incunabulis, indubie

a remotiori antiquitate, candelis ex cera usam fuisse. Consuli ad rem possunt: Baronius in suis Annalibus (*an. 58*), Eusebius (*in Vit. Constantini lib. IV*), Prudentius (*Hymn. S. Laurentii*), Epiphanius, Ennodius, Paulinus, Fortunatus aliique (*V. Selvaggi, Tom. II, pag. 34*). Qui omnes singulique de candelis, de cereis, de ceratis papyris etc. verba faciunt: quae quidem candelae satis probabiliter ex apum cera tantum esse poterant; quia, nisi aliam materiam, puta ex adipe, sevo, stearina, margarina, cleina, ignorabant antiqui, certe non constat eam ipsos pro sacro usu, *saltem exclusive*, adhibuisse.

Dixi *saltem exclusive*; quod partem aliquam ex alia materia, quae cerae notam, italice *lega*, efformat, et veteres fortasse adhibuerunt, uti ab immemorabili tempore et nos adhibemus, si ultimum Triduum maioris hebdomadae vix excipias, in quo cera apum pura, quam italice appellant *vergine*, adhiberi solet, quamvis quibusdam in Ecclesiis color fuscus cerae puritatem suppleat.

Hinc Caeremoniale Episc. indicat *ceram communem et ceram albam*. Unde notabile oritur consectarium, meram videlicet ceram ex apum materia, de qua verba facit Opusculum Lavergne, nisi *utopiam* dicam, certe impositam lege dicere nulla ratione possum: nisi tamen ipsemet Abbas Lavergne intelligere velit ceram apum cum alia quadam materia mixtam, quoties de simplici apum cera verba tenet. Consequenter ceram apum cum alia materia mixtam sacrae Liturgiae apprime respondere, necessario admittendum.

Quaestio itaque ad hoc reducitur: quanta esse poterit eiusmodi extranea materia cum cera apum miscenda, ut candelae appellari valeant liturgicae. Verum, hic opus, hic labor. Optarem quidem, ut ex meraca apum cera, nota seu *lega* excepta, quam fere necessariam iudicant, ut apum materia firmiter consistat, candelae fierent: opta-

rem saltem ut dicta extranea materia minori in candelis efformandis proportione cerae apum commisceretur: contentus imo forem, si pars extraneae materiae candelis ex cera apum commiscenda satis notabilis, nisi maior, adhiberetur. At veritas est, partem materiae extraneae, quae cum cera apum miscetur in candelis hodiernis, esse maximam; materiam vero ex cera apum esse minimam, fortasse nullam.

Cl. Professor Regnani, refert P. Cirinus (*Vot. ex off. pag. 29*), in determinata quantitate cerae, quae Veneta dicitur, vicesimam cerae apum partem solummodo detexit, in eaque detegenda improbe adlaboravit. Doctor Dominicus Colapietro e suis experimentis infert, in quibusdam candelis ex cera dictis, aut parum nimis aut nihil prorsus cerae apum se detexisse. In Galliis extant officinae quaedam candelis conficiendis destinatae, quae candelae quintam aut ad summum decimam ex cera apum partem continent, et nonagesima vel nonagesima quinta earum pars aut ex stearina aut ex aliis materiis vegetalibus constat. Quid nisi idem dicendum de aliis officinis, quae in Italia esse noscuntur, uti Patavii, Mediolani, Leuci, Novocomi, Florentiae et alibi? Etenim ex pretio, quo eiusmodi candelae venumdantur, certo infertur, nonnisi minimam partem cerae apum eas continere. Quod si PP. Praemonstratenses, Trappistae, aliique fortasse, uti P. Cirino narrat (*loc. cit. pag. 30*), officinas pro candelis conficiendis et ipsi construxerunt, ac duas tertias partes adhibuerunt materiae extraneae, unam vero integram ex cera apum, ab aliis officinis circumventi fuerunt. Quippe quae, cum nonnisi partem minimam verae, maximam spuriae cerae in iis fabricantes adhiberent, longe inferiori pretio candelas venumdabant, candelae autem maioris pretii ad ornatum, ni fallor, officinarum Religiosorum remanserunt. Utinam proinde veritatem constitueret quod cl. P. Cirino affirmat,

nempe candelas praesentis usus vicesimam semper cerae apum continere partem. Inversus quidem esset ordo, ut dum cera apum maiorem, minorem e contra satisque levem partem efformaret extranea materia, sed tamen candelae adhuc ex cera dici possent. Quid autem iudicandum impraesentiarum, cum fere certum exploratumque sit, candelarum fabricatores super commixtione, qua utuntur, rogatos, altum servare silentium, ne eorum detegantur doli, et fictam omnino ceram pro vera facile venundent?

Quae cum ita se habeant, inquiro primum, quid lex liturgica hac super re praescribat. *a)* Missale loquitur de duabus *candelis* accensis pro Missa lecta, et exigit ut a parte Epistolae paretur *cereus* (*Rubr. Gen. n. XX*). Docet pariter Missale defectum esse in ministerio occurrentem si non adsint luminaria *cerea* (*De defect. Tit. X, n. 1*). *b)* Caeremoniale Episcoporum nunc nominat duo candelabra cum luminaribus (*lib. II, cap. XVI, n. 3*): nunc loquitur de candelabris et *cereis* accensis, qui solent fieri ex *cera communi* (*loc. cit. cap. X, n. 4*): nunc loquitur de candelabris super quibus apponi solent *cerei albi* (*lib. I, cap. XII, n. 11*). *c*) Oratio prima pro candelarum benedictione (*Missal. Rom. die Purific.*) explicite in candelis *opera apum* agnoscit, et in cerei paschalis benedictione cereum nominat oblationem per ministrorum manus, de *opere apum*, Deo reddendam (*Sabb. Sanct.*). Ex quibus mihi videtur satis abunde lege liturgica constare, candelas, super altarium candelabris saltem collocandas, esse debere ex cera apum.

At nunc mihi inquirendum est, utrum ad Rubricarum, quae retulimus, observantiam, necesse sit omnino, ut *totae* candelae sint ex cera apum. Cui quaesito negative certo certius reponendum est; quia si pars candelarum, saltem notabilis, ex cera apum sit, lex liturgica observatur, et Orationes Ecclesiae suum habent obiectum comproba-

tum: quod per se patet et demonstratione non eget. Quid autem iudicandum, si pars satis minor, ut ne notabilis quidem dici queat, inveniatur tantum in candelis Liturgiae inservientibus? Audeo pariter reponere, et per has candelas observari, licet minus perfecte, Rubricas, et Orationes liturgicas finem suum attingere.

Dixi *minus perfecte*, et iure, quod nemo negabit; quia lex eiusque spiritus, cum dicunt candelas, nonnisi id omne intelligere possunt, ex quo candelae constant: in casu autem, haud omne, sed pars tantum et satis minor est ex apum cera, ut minus proinde perfecte Rubrica observetur. Observatur tamen; quia si ad totum non potest lex referri, refertur nihilominus ad partem, quam ex cera apum vere supponimus. Similiter finem suum liturgice Orationes assequuntur, quia cera apum, esto in minori parte, in candelis non deest. Quid autem vetat, ut pars pro toto accipiatur? Non enim de sacramentis agitur, sed de sacramentalibus.

De hac agendi ratione exempla plura in sacra Liturgia non desunt: adeo ut verba quae proferuntur haud perfecte iis quae fiunt respondeant. Ex. gr. Baptizato, ex antiquo neophitorum more, qui vestem albam induebant post baptisma receptum, nunc quoque dicitur: *Accipe vestem candidam etc.* Sed notat Rituale pro *veste candida* imponendum infanti *Linteolum* (*tit. II, cap. 2, n. 2*). Rubrica Missalis (*ad Sabb. Sanct.*) dicit: « Excutitur ignis de lapide... et accenduntur carbones ». Antiquitus comprobabatur perfecte Rubrica, cum alius ignorabatur modus excitandi ignem. Sed impraesenti alius adhibetur modus aut carbones deferuntur accensi, ut Rubrica perfecte non comprobetur, et Oratio nonnisi imperfecte scopum suum consequatur. Nonne calvo tonsura prima confertur, et Oratio verba facit de comis capitis deponendis? Nonne si Acolytho tradatur Breviarium pro libro

Epistolarum, valida est Ordinatio, cum nihilominus dicat Pontifex: *Accipe librum Epistolarum?* Atque ita de aliis pluribus. Consequenter haud nimis insistendum hac in ratione, quam ex aliis exemplis atque ex sensu liturgico nihili faciendam esse censeo.

Aliquid nunc super Decretis, sed breviori calamo, mihi dicendum est. Plura citantur etiam ab A. Lavergne, sed eius, ne rigoris excessum dicam, zelum liturgicarum legum probare non valent. Et imprimis notandum, Decretum primum ab illo citatum a nova Collectione exulasse, aliudque exulem fuisse suffectum. Hoc autem prohibet tantum lumina ex oleo nutrita, mensae altaris imminentia, et sacrificii tempore ardentia (*Romana n. 4035 ad VI*). Aliud affertur Decretum in *Massilien.* n. 2865 (4975); sed loquitur explicite de cera stearina, super qua respondet: *Consulantur Rubricae.* De eadem cera loquitur Decretum *Dicionen.*, uti ait praecitatus cl. Lavergne, et super illa S. R. C. respondisset: *Nihil innovetur:* Dies inscripta dicti Decreti esset 7 Sept. 1850, sed in nova Collectione non legitur: utcumque res se habeat, de cera stearica semper verba faceret. Affertur et Decretum in *Caronopolitana*, num. 3063 (5255), quod dicit eliminandum abusum *adhibendi candelas ex sevo.* Aliquod autem Decretum candelas praefatas prohibitas ex sola necessitate S. R. C. permittit. Porro animadverto, citata Decreta ad rem non facere, quia agunt de candelis ex stearina aut sevo exclusive, quas et ipsemet improbo et repudio seu ob foetorem, quem redolent, seu ob indecentiam. Eiusmodi vero non sunt candelae, quas ego adhiberi posse teneo.

Silendum esse censeo de auctoribus, qui vix de candelis ex pura apum cera adhibendis verba faciunt: excludunt tamen, saltem super altaria, lumina ex stearina, ex sevo, ex oleo. Refert cl. Lavergne notam quamdam, excerptam ex Ephemeridibus Liturgicis, quas ipse mo-

deror; et gratias illi refero, quod simplicem notam Redactoris in S. R. Congnis Decretum commutavit. Ceterum haec nota ait tantum, commixtionem alterius materiae in cera pro functionibus liturgicis nullo pacto esse prohibitam *(1894, pag. 537)*.

Sive ergo Rubricae, sive Decreta, sive auctores consulantur, asseri iure nequit, candelas partim ex cera apum, licet minus notabili proportione; partim ex aliis materiis confectas, esse prohibitas: quamvis vetitae sint aliae, quae ex stearina, ex sevo aut adipe exclusive conficiuntur.

Nunc ad symbolismum. In cereis esse verum symbolismum, utpote ab Ecclesiae sapientia admissum, nemo catholicorum ambigit. Cereus repraesentat Christum, apis repraesentat almam Virginem: Christus est mel, mel apis mater educit: Virgo mater genuit Christum: cera apum purissima est, et virgo nuncupatur; sed et virgo est apis, quae eam generat: Virgo est Maria, quae genuit Christum repraesentatum a cera, etc. etc. Haec, ut de lumine sileam, quod et ex oleo producitur. Hoc symbolismum admittit Ecclesia, uti constat ex Missali Romano et Gotico, ex Sacramentario S. R. Ecclesiae, e Ruperto Abbate, et generatim ex Patribus.

At nonne symbolismum istud in candelis habebitur, dummodo in iis apum cera non desit, in modica licet quantitate? Nec deesse quoque poterit symbolismum luminis quod in cera semper ostenditur. Ergo et symbolismum manebit, quamvis candelae ex mera apum cera confecta non fuerint.

Ceterum et hoc breviter animadvertam. Cera primitus, uti oleum, adhibita ne in Ecclesia fuit ob symbolismum, an symbolismum post cerae usum adinventum fuit? Hoc unum pro certo habeo, symbola, figuras, mysticasque significationes sine fine excogitatas fuisse semper

in ritibus et caeremoniis Ecclesiae: ut vix ritus aliquis, vix aliqua caeremonia instituta fuit, statim devotae mentes et animi reconditos in illis sensus detexerint. Excogitare num futurae aetati (quidni et praesenti)? non licebit symbolismum novum in candelis ex cera apum, cum vegetali vel animali commixta? Etiam, arbitror. Immo addam quod mihi subit in mentem, haec scribenti. Si cera apum purissima repraesentat Christum, cerea pars vegetalis aut animalis depurata, primaeque commixta, nonne optime repraesentare homines poterit, qui in Christo purificantur, atque in ipso, Apostolo docente, efficiuntur iustitia Dei, et cum Christo capite unum corpus mysticum tamquam membra efformant, ut fiant lux in Domino? En optimum symbolismum, puto: quod si ceterum non arrideat, perspicaciores non deerunt spiritus, qui aliud perfectius excogitabunt.

Praeterea si primaevi Christifideles omnia possedissent naturae artisque subsidia ad candelas conficiendas, quae in praesenti aetate noscuntur, putandum ne, illos ea omnia repudiasse propter praefati symbolismi defectum, an potius iisdem ulla sine difficultate usi fuissent, symbolismo neglecto, quod ceterum adinvenire nullius momenti negotium constituit? Hoc ipse ab omnibus edoceor, Ecclesiam quidquid de usibus, nec ritibus exceptis, profanisque consuetudinibus gentilium accipere potuit, accepisse, sanctumque fecisse. Atque in praesenti videmus eamdem Ecclesiam, alterius generis lumina, quae ignorabat antiquitas, adoptasse sibi, licet extra cultum, in templis, uti ceram vegetalem, animalemque, gas, acetilene, electricum; aliaque fortasse adoptabit, si excogitari poterit hominis ingenium.

Haec dicta sint, ne nimia symbolismo vis tribuatur, cum Ecclesia pro sua sapientia ingenii progressum nequaquam spernat, sed ritus ac caeremonias temporum adinventis aptare semper solemne habuit, habebitque.

Ex hucusque dictis ac discussis liquido, ni fallor, profluit, candelas altarium esse posse ex cera, quam apes non educunt, dummodo cera apum in commixtione non desit. Huiusce autem cerae apum quantitatem determinare lex posset quidem, sed non deberet.

a) Quia venalitas dominatur in fabricatoribus: adeo ut lege abuterentur ad maiori illam pretio venumdandam.

b) Quia in commixtione, cerae apum quantitatem mensurare nemo posset: ut fabricatoribus fides sit adhibenda, qui tamen, generaliter loquimur, mendaces sunt.

c) Quia non arbitror imponendam legem, quae urgeri nonnisi maxima cum difficultate potest.

Ut finem dicendi faciam censeo necessarium esse, ut S. R. C. pro sua sapientia statuat, ceram apum in candelis pro cultu inservientibus omnino requiri, quin tamen excludi absolute debeat alterius naturae, seu vegetalis, quae praeferenda est, seu animalis cera, quam, attentis rerum, temporum, locorumque adiunctis, S. R. C. permittit, aut tolerat. Hinc opinor, dubium iam propositum, et pro modulo meo resolutum, alia seu sequenti ratione posse exprimi:

An candelae super altaribus ponendae, omnino et integre ex cera apum esse debeant, an esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtae, ita tamen ut aliqua, saltem notabilis, pars cerae apum in illis omnino nunquam desit?

Resp. *Negative* ad primam partem: *Affirmative* ad secundam.

Quae omnia dicta sint sub censura Eminentiarum Vestrarum.

Calcedonius Mancini P. C. M.

Sacr. Rit. Congr. Consult. Commiss. Liturg. Secret.

Nota. E.morum Patrum Consessus nil adhuc respondendum censuit.

Quodnam ex duobus festis

SS. Marialis Rosarii et Angeli Custodis Regni praeferendum.

SUFFRAGIUM.

E.mi Patres,

Anno 1899 in Hispania occurrerunt simul festa SS. Rosarii et S. Angeli Custodis Regni, utrumque duplex II classis. Ex calendariorum autem Ordinatoribus alii de SS. B. M. Virginis Rosario celebrarunt festum, transferentes festum S. Angeli Custodis Regni: alii vero hoc celebrantes festum, aliud Rosarii transtulerunt. Id accidit, quia illi secundarium, isti vero primarium S. Angeli festum iudicarunt. Hinc dubium: Festum S. Angeli Custodis Regni est ne *primarium* aut *secundarium?*

1. *a)* Ante omnia dicendum, unumquodque Regnum angelum habere pro suo peculiari Custode, sicut suum quisque hominum habet. Constat ex Daniele (*Cap. X, v. 18*): « Princeps Regni Persarum restitit mihi ». De angelo autem bono hic agi multi Expositores sustinent et probant, quos inter Cornelius a Lapide (*In Dan. loc. sup. cit.*), Basilius (*Lib. III contra Eunonium*), Clemens Romanus, Dionisius, Gregorius Nazianzenus, et alii quos citat Molina (*1 p. qu. 113 in fin.*). Patres hoc sensu intelligunt illud Deuteronomii (*32, 8*). iuxta septuag. « Constituit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei ». Super quo

ait a Lapide: « Principatus tutelares esse Regum et Regnorum; inde enim videtur hic vocari princeps Persarum; Archangelos vero esse tutelares Provinciarum etc. (*loc. sup. cit.*) Idem docent Tirinus, Hieronymus, Theodoretus, S. Thomas, Lyranus, Suaresius aliique.

b) Confirmatur ex officio, quod S. Sedes per peculiare Decretum Regno Hispaniarum concessit die 25 Martii 1825.

c) Porro si festum Ss. Angelorum custodum hominum est primarium, quare festum Angeli Custodis Regni debet esse secundarium?

d) Equidem de omnibus angelis custodibus hominum agitur ab Ecclesia die 2 Octobris et hoc festum primarium est; sed vero agitur etiam separatim de S. Michaele Arch. uti Custode totius Ecclesiae, et hoc quoque festum primarium est. Ergo primarium quoque sit festum S. Angeli Custodis Regni. Ceterum nonne celebratur in Ecclesia festum, et quidem primarium, Omnium Sanctorum, cum tamen celebrentur etiam plurimi ex iisdem Sanctis cum primario festo. Poterit ergo etiam celebrari festum primarium Angeli Custodis Regni, quamvis celebretur aliud festum etiam primarium omnium Angelorum Custodum hominum.

2. *a*) At contra est, quod Angelos esse hominum custodiae destinatos nemo dubitat: adeo ut certum sit, iuxta omnes proximum fidei, et iuxta plures etiam de fide, unumquemque hominem angelum habere ad sui custodiam deputatum. Sed unumquodque Regnum relativum habere angelum illi in custodiam datum intra limites opi-

nionis coarctari. Nec desunt qui sustinent, Angelum Persarum, de quo Daniel, ex malis fuisse.

b) Officium S. Angeli Custodis Regni concessisse S. Sedem Hispaniis inficiandum non est; at notandum quoque, iisdem Hispaniis per annos plurimos denegatam fuisse potestatem celebrandi festum SS. Angelorum die 2 Octobris. Quod profecto significat, alterum ex iudicio concedentis aequivalere alteri. Quod si postea utrumque concessum sit, non certe sequitur utrumque esse primarium, sicuti primaria non sunt plura festa de eodem Sancto vel Angelo concessa.

c) Festum Angelorum Custodum hominum est primarium, quia unicum est; sed festum Angeli Custodis Regni est secundarium, quia non est unicum et in alio includitur atque comprehenditur: Regna enim ex hominibus constituuntur.

d) De S. Michaele festum separatum agit Ecclesia, tamquam militiae caelestis principe, et per consequens Patrono militantis Ecclesiae: quod de Angelo Regni praedicari nequit. S. Michael nomine gaudet revelato, Custos Regni quo nomine gaudeat nescitur, et nova angelorum nomina praeter cognita, Ecclesia prohibet. S. Michaelem existere certa in sacris Bibliis auctoritas est, Angelos dari ad Regnorum custodiam destinatos solum opinio extat.. Hinc obiectum festi incertum est, nisi includatur in communi festo Angelorum Custodum hominum.

e) Commissio Liturgica, bis quaestionem perpendit, et in eamdem et unanimem devenit sententiam, Festum Angeli Custodis Regni esse *per se* secundarium et non primarium.

Hinc ad Dubium: *An festum Angeli Custodis Regni primarium sit, ita ut occurrente vel concurrente cum Festo SSmi Rosarii Deiparae, si ambo sint duplicia II classis, huic praeferri debeat, an potius sit secundarium, ita ut SS. Rosario cedere locum debeat,* respondendum videtur: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Ceterum Eminentissimorum Patrum iudicio quaestio definienda subiicitur.

CALCEDONIUS MANCINI S. C. M.
S. R. Cong.nis Consult. Com. Liturg. Secr.

Nota. Decretum ea super quaestione iam prodiit. V. Ephem. Liturg. anni vertentis, n. 3, pag. 130.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile.

Roma — Tip. Partenopea F.lli Amoroso, Campo Marzio 46